This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

AH
7808
93

AH 7808.93

Harvard College Library

THE GIFT OF

JAMES LOEB

(Class of 1888)

OF NEW YORK

FROM THE LIBRARY OF

PROFESSOR ADOLF FURTWÄNGLER

OF MUNICH

RECEIVED MAY 7, 1909

11286 b4 Cover
AH 7808.93

DE LEGIBUS ET SENATUSCONSULTIS ANNI 710. QUAESTIONES CHRONOLOGICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE XXII MENSIS FEBRUARII ANNI MDCCCXCIII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

PAUL GROEBE
SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARII ERUNT:

C. HORNER, STUD. PHIL.
D. KALOPOTHAKES, STUD. PHIL.
F. FROEHLICH, DR. PHIL.

LIPSIAE 1893.
APUD MAX. HOFFMANN.

AH 7808.93

Harvard College Library
Gift of
James Loeb,
May 7, 1909

OTTONI HIRSCHFELD
ULRICO KOEHLER
SACRUM.

Res Romanas post Caesaris mortem gestas ut exquirerem, hisce causis sum adductus: primum enim arbitror de legibus et senatusconsultis anni 710 ex Ciceronis orationibus Philippicis et epistulis partim alia partim plura effici posse quam adhuc effecta sunt. Deinde Drumanni (Geschichte Roms t. I.) et Langeii (Röm. Altertümer t. III) sententias non semel a quibusdam sine causa in dubium vocatas esse persuasum habeo. Tum ipsius Ciceronis epistulas nonnumquam certioribus terminis circumscribi posse confido.

Nec vero opus fuit nec fieri potuit, ut omnes leges, omnia senatusconsulta tractarem. Neglectis igitur iis, quae satis perspicua fuerunt, ad ea sola accessi, quae in temporibus definiendis maximas praebuerunt difficultates viris doctis.

Argumentum.

Caput I: Quo tempore et quo modo Antonius legem de coloniis deducendis exsecutus sit . . p. 1
Caput II: De provinciarum distributione . . . . „ 4
1. de Syria et Macedonia . . . . . „ 4
2. de permutatione provinciarum . . . „ 8
3. de provinciis Bruto et Cassio datis . „ 17
a. de frumentario negotio . . . „ 17
b. de Creta et Cyrenaica . . . „ 19
Caput III: De restitutione Sex. Pompeii . . . . . „ 27

Excursus I: De epistulis extremo mense Maio et a Cicerone et ad Ciceronem scriptis . . „ 32
Excursus II: De Cic. ep. ad Att. XIV 9—12 . . „ 38
Excursus III: De Ciceronis legatione . . . . . „ 40
Excursus IV: De Cic. Phil. I 8—9 . . . . . „ 41
Excursus V: De Octaviani conatu Antonii necandi . „ 43

Tabula chronologica de rebus inde a Caesare occiso usque ad a. d. VII Id. Oct. gestis . . „ 44

Caput I.

Quo tempore et quo modo Antonius legem de coloniis deducendis exsecutus sit.

A. d. XVI Kal. Apr. senatus in aede Telluris acta Caesaris servanda esse decreverat[1]) et referente Antonio veteranis agros a Caesare assignatos comprobarat (Phil. I 6; Att. XIV 14,2). Quo senatusconsulto permoti consules — nam Dolabellam quoque rei interfuisse constat ex Phil. VIII 25 — legem tulerunt de coloniis deducendis. Quae lex statim post leges de actis Caesaris confirmandis deque dictatura in perpetuum tollenda lata esse videtur (Phil. V 10) non multum post mortem dictatoris. Num autem tres hae leges eodem die perlatae sint et a. d. VIII Kal. Mai. perlatae sint, id quod Lange, R. A. III 492, 494, 499 coniecit, non satis firmum exploratumque videtur. Sed certe res facta est ante a. d. V Kal. Mai.[2]). Nam hoc die, si tardissime (cf. p. 2) Antonius ad peragendam legem de coloniis deducendis ex urbe discessit.

Quam diu enim consul Romae fuerit, satis certis terminis definiri potest. Primum enim tumultus Marii a. d. XVIII Kal. Mai.[3]) ab Antonio ipso in urbe est sedatus (App. III 2—3). Deinde e compluribus Ciceronis epistulis dimidia parte mensis Aprilis datis (Att. XIV 10 seq.) elucere videtur, Antonium illo tempore in urbe fuisse. Quibus in epistulis permultum Cicero

---

[1]) Att. XVI 14,1: *multo firmius acta tyranni comprobatum iri quam in Telluris.*

[2]) Quae iam inde ab Idibus Aprilibus Cicero scripsit de Sextiliano fundo, de Tebassis, Scaevis, Frangonibus, aliis (Att. XIV 6 seq.) num ex hac lege manarint, non potest diiudicari. Fluxisse potius videntur e falsis Caesaris commentariis.

[3]) Hoc die a Mario supplicium sumptum esse apparet ex ep. ad Att. XIV 7 et 8. cf. Phil. I 5; Lange R. A. III 493.

queritur de Antonii post discessum Bruti[1]) factis nefariis: de libellis Caesaris male quaestui habitis (ep. 10, data XIII Kal.), de civitate Siculis data (ep. 12, X Kal.), de falsis commentariis ac restitutione Sex. Clodii (ep. 13, VI Kal.[2]), de manente tyrannide tyranno sublato deque consilio Antonii Kalendis Juniis de provinciis referendi (ep. 14, VI Kal.[3]). Quae omnia, cum M. Antonius Romae esset, accidisse videntur.

Kalendis vero Maiis Dolabellae in cives improbos sceleratosque servos animadversio Puteolis innotuerat iam (Att. XIV 15), quam ab eo solo susceptam esse Cicero testatur Phil. I 5.

Quibus ex indiciis, quo tempore Antonius ex urbe profectus sit, invenitur. Nam redduntur litterae, quibus consulem in urbe adesse indicatur, a. d. VI Kal. Mai., quibus abesse, si tardissime, Kal. Maiis. Unde cum utrimque, si minimum, quadriduum[4]) desumitur: mittuntur superiores, si tardissime, X Kal., recentiores V Kal. Apparet igitur inter X et V Kal. Mai. Antonium urbe egressum esse. Et si Langeio (R. A. III 499) concedimus legem Antoniam Corneliam de coloniis deducendis a. d. VIII Kal. Mai. latam esse, postridie consulem discessisse perfacile probatur (cf. tabul. chron. p. 46).

Qui quae fecerit vel facere voluerit hac 'percursatione', accurate perscripsit Cicero, tametsi concedendum est eum ut consuli tum inimicissimum exaggerasse in malam partem (Phil. II 100 seq.). Tamen non solum res, sed etiam ordinem rerum ex iis, quae tradidit, satis certe enucleare possumus. Ac primum invectus est Antonius in Sidicinos, quod C. Cassium Brutosque patronos adoptassent. Tum Casilinum coloniam deduxit, quo Caesar paucis annis ante deduxerat[5]), ac per litteras Ciceronem consuluit de colonia Capuam deducenda. Qui postquam dissuasit novosque tantum colonos adscribi posse rescripsit, coloniae Casi-

---

[1]) Brutum et Cassium Idibus fere Aprilibus ex urbe egressos esse colligitur ex ep. ad Att. XIV 5—7. cf. Ruete, die Correspondenz Ciceros in den Jahren 44 und 43, p. 18.

[2]) Antonii epistula de restitutione Sex. Clodii inter a. d. X et VI Kal. Mai. Puteolis redditur. cf. Att. XIV 12 et 13.

[3]) Sc. eo die eiusmodi Attici epistula adfertur Ciceroni.

[4]) Bardt, quaest. Tull. p. 9 et 43. Horatius in itinere Brundisino sexto die Capuam advenit (s. I 5, 47).

[5]) Casilini legio octava collocata fuisse videtur, Calatiae septima. cf. Nic. c. 31, App. III 40, Att. XVI 8 seq. Veteranos Casilinum deductos postea extremo mense Octobri (Att. XVI 8) Octavianus perduxit ad suam sententiam: *ex Antonii amicis, sed amicioribus libertatis contra Antonium confecit exercitum* (Phil. V 44). cf. Mommsen, R. G. III 211 et 215, de coloniis a Caesare in Campaniam deductis.

linum deductae fines propagati sunt usque ad portam Capuae[1]). Qua re coloni, qui ibi erant, adeo sunt offensi, ut tumultu exorto ‚paene abierit' consul.

Atque in his locis inter Kalendas et Nonas Maias versatus (Att. XIV 17; 19; 20) a. d. VII fere Idus Antonius Misenum venit[2]) celeriterque, cum Puteolanos graviter vexasset ob eandem causam propter quam antea Sidicinos, discessit in Samnium. Inde reversus in M. Varronis fundum Casinatem advolavit ibique permultos dies turpissime perbacchatus via Latina per Aquinum et Anagniam iter faciens Romam venit inter a. d. XV et XII Kal. Jun.

Nam cum in epistula a. d. XV Kal. Jun. ab Attico scripta (Att. XV 3) nihildum legatur de Antonio, in recentioribus vero epistulis a. d. XII, XI, X Kal. Romae datis (Att. XV 3 et 4) continenter de eo verba fiant, consulem inter a. d. XV et XII Kal. Jun. Romam advenisse maximam habet probabilitatem. Quae ut planius perspiciantur, hanc tabulam propono:

epistula Attici	Romae data	exhibet de Antonio:
Att. XV 3,1	XV Kal. Jun.	———
„ „ 3,2	XII „ „	*Antonio male*[3]) *quoniam est, volo peius esse.*
„ „ 4,4	XI „ „	*Si Antonius militibus obsessurus est senatum.*
„ „ 4,1	X „ „	*Antonii consilia narras turbulenta.*

Videtur ergo Antonius a. d. VII Kal. Mai. ex urbe discessisse, inter a. d. XV et XII Kal. Jun. redisse.

Ac si quaerimus, quid effecerit hac ‚percursatione' Antonius: id quod maximum erat, omni modo effecit: veterani enim acta Caesaris sanxerunt, idque se facturos esse iuraverunt, ‚ut arma omnes haberent eaque duumviri omnibus mensibus inspicerent'. Nam hoc spectasse consulem apertum fit ex epistula ad. Att.

[1]) Antonium novam coloniam Capuam deduxisse Drumann, I 129, censuit. Sed Cicero Phil. II 100 satis aperte de conatu loquitur et § 102 de propagatis usque Capuam Casilini finibus. cf. Lange, R. A. III 499 n. 9.

[2]) O. E. Schmidt, de epistulis et a Cassio et ad Cassium datis, p. 17 seq.

[3]) Hoc cum Alano supplendum puto ad reficiendam sententiam; conferatur Att. XV 15, 1: *L. Antonio male sit!* Videtur hoc loco de Antonii mala valetudine seu de re male gesta ab eo scriptum fuisse.

XIV 21, 2[1]); effecisse vero eum inde mihi probatur, quod Cicero plane silet de hac re in Phil. II, quem libenter, ut fecit in tumultu ad Capuam exorto, occasione data rei mentionem facturum fuisse puto, si profecto Antonius rem male gessisset.

Accedit, quod non parvus veteranorum numerus 'agmine quadrato' consulem in urbem prosecutus est armaque frequentia eo comportabantur[2]) et exspectabatur maiorem militum multitudinem ad Kal. Jun. Romam conventuram esse (cf. p. 14) quorum opera Antonius comitiis centuriatis perficeret, quae in animo haberet. Nam hac re maxime ei opus fuit: et ut adessent in urbe, qui ipsum tuerentur[3]) comitiisque suffragium ferrent, et ut veterani in coloniis instante periculo ab ipso starent omnique modo parati essent ad decertandum de summa imperii ipsius auspiciis.

Caput II.

De provinciarum distributione.

1. de Syria et Macedonia.

De provinciis a. 710 post Caesaris mortem delatis maxima est adhuc virorum doctorum controversia, imprimis de temporibus. Videamus, quem ad finem res perduci possit. Ac primum

---

[1]) Manifestum est hoc loco corruptelam esse in codice Mediceo, qui praebet *illum circumire veteranos, utram omnes haberent,* nec recte sanari eam alterius manus emendatione (*ut iam*). Nam sic non minus requiritur, quid inspicerent duumviri. Victorii autem coniecturam *ut rata omnes haberent*, quam pars editorum secuta est cum Drumanno (I 128) prorsus improbo tribus de causis. Primum enim ita bis idem dicitur. Deinde cur illud *omnes* altero loco appositum sit, plane non perspicitur, quasi vero non omnes antea veterani indicentur! Tum non habemus, quo vocabulum *inspicerent* referamus. Neque enim ad acta Caesaris vel ad comprobata per veteranos acta satis apte revocari potest, ut Drumann voluit (l. c.), cum neque ex Ciceronis verbis sequatur nec per se verisimile sit, Antonium syngraphas exegisse a veteranis.

Quamobrem cum Lambino arbitror *pro utram* legendum esse *ut arma,* quod et optimum praebet sensum et facilius in *utram* depravari potuit quam Victorii „*ut rata*".

[2]) Phil. II 108: *scutorum lecticas portari videmus.*

[3]) Hoc illud praesidium consulis fuisse, de quo Appianus verba fecit ut a senatu dato (III 4 et 57) concesserim Langeio (R. A. III 499). cf. Phil. II 112: *praesidii sui causa se facere dicit.* Drumann tamen, I 108, Appianum sequitur.

dicam de Syria et Macedonia consulibus traditis, deinde de permutatione provinciarum, tum de provinciis Bruto Cassioque datis.

Fuisse illo anno Syriam et Macedoniam designatas consulares provincias inter omnes constat. Quo autem tempore, quae ex commentariis Caesaris Bruti et Cassii erant, provinciae consulibus decretae sint, si quaerimus, proficiscendum est a duabus Attici et Balbi epistulis, a. d. VI fere Kal. Jun.[1]) scriptis (Att. XV 5, 2) et ab altera solius Balbi epistula a. d. IV Non. Jun. data (ibid. 9). Quibus in epistulis cum verba fiant de provinciis Bruto et Cassio decernendis (5, 2: *de provincia Bruti et Cassii per senatus consultum;* 9, 1: *ait autem* [Balbus] *eodem tempore* [Non. Jun.] *decretum iri, ut et iis et reliquis praetoriis provinciae decernantur),* elucet illo quidem tempore liberatores nullas habuisse provincias.[2]) Ergo statuendum est Syriam et Macedoniam antea a consulibus vindicatas esse.[3])

Sed habemus quo paulo accuratius tempus definiatur. Cicero enim a. d. XIV Kal. Mai. (Att. XIV 9)[4]) ad amicum suum scripsit de Dolabella ut Syriae praefecto: *a Vetere litterae datae pridie Kal. Jan . . . . . venisse cum maximis copiis Pacorum Parthum . . . ita mihi videtur bellum illud instare, sed Dolabella et Nicias viderint.* Unde apparet medio fere mense Aprili Dolabellam iam Syriam et imperium belli Parthici obtinuisse.

Nam quod A. W. Zumpt (Ihne, Röm. Gesch. VII 475) profectus a falsa opinione, qua Antonius Nonis Juniis provinciam accepisse fertur, probare studuit ex epistula ad. Att. XIV 9 colligendum non esse, Syriam iam tum Dolabellae fuisse, sed sermonem tantum multis fuisse in ore hanc provinciam ei obventuram esse, prorsus hanc rationem improbo. Ita enim si scriptorum verba interpretamur, quid est, quod non ex auctoribus exarare possis?

Alia plane interpretandi ratione usus Krause (App. als Quelle p. 16) delatum bellum ac decretam provinciam seiun-

---

[1]) cf. excursum de epistulis extremo mense Maio et a Cicerone et ad Ciceronem scriptis p. 32.

[2]) Schmidt, Jahrbücher f. class. Phil. 13 Suppl. 1884, p. 710.

[3]) Krause contra, Appian als Quelle, Progr. v. Rastenburg 1879, p. 15—17, provincias inde ab exeunte mense Quinctili usque ad medium Sextilem consulibus decretas esse coniecit. Sed hoc prorsus falsum; neque enim potuit de decernendis praetoribus aliis provinciis aut cogitari aut agi pristinis nondum ereptis.

[4]) cf. excursum de Cic. ep. ad Att. XIV 9—12, p. 38.

genda esse proposuit atque ex epistulis ad. Att. XIV 9, 3 et XV 11, 4 effecit Dolabellae tum solum bellum Parthicum delatum fuisse. Id quod valde mihi quidem displicet. Obstat enim Appiani certissimum testimonium, quo comprobatur, imperium ac provinciam isdem comitiis postulata esse ac tradita. Epistulis autem Ciceronis rem aliter se habere demonstrari non potest. Immo legatio Ciceronis plane abhorret a delato bello; is enim certe ad bellum non erat profecturus. Praeterea Dolabella iam scribam elegerat et a. d IV Non. Jun. Ciceronem sibi legavit,[1]) quod certe eum eo tempore fecisse puto, quo provinciam iam obtinuit.

Sed possumus etiam paulo longius progredi in tempore definiendo. Nam quoniam Cicero in praecedentibus ad Atticum epistulis de Syria Dolabellae data nullam facit mentionem, hanc provinciam consuli ante Ciceronis ex urbe profectionem traditam esse magnam habet probabilitatem. Quam profectionem accidisse post Nonas Apriles colligitur ex epistula ad. Att. XV, 15, 3, tertio vero post Nonas die ex epistula ad. Att. XIV 1.

Antonius Appiano teste provinciam suam Macedoniam posterius accepit a senatu (III 8), sed credendum est non multum temporis interfuisse inter Syriam Dolabellae delatam et Macedoniam decretam Antonio. Nam Cicero nihil exhibet in litteris (Att. XIV) de Macedonia, et Dio (45, 9 et 20) rem ita exposuit, quasi simul consules provincias sorte acceperint. Unde mihi quidem satis probatur non multum post mortem dictatoris provincias consulibus esse decretas.[2]) Quamquam hoc colligendum non est ex Appiani (III 12) verbis, quibus indicatur, Octavium Tarracinae de Syria et Macedonia provinciis a consulibus ereptis comperisse.[3]) Nam ex Appiano de tempore colligi nihil potest.[4])

Exposui quae dicenda fuerunt de tempore; plus enim effici non potest magisque obesse quam prodesse ad rem perspiciendam puto ea, quae Zumpt et Schmidt protulerunt, ut certos provinciarum distributioni dies statuerent. E quibus ille (Ihne, Röm. Gesch. VII 476 seq.) abiectis gravissimis Ciceronis testimoniis vel pravissime intellectis Syriam Dolabellae a. d. IV

---

[1]) cf. excursum de Ciceronis legatione p. 40.

[2]) Vogeler, Quae anno u. 710 post mortem C. Julii Caesaris acta sint in senatu Romano, diss. Kiel. 1877 p. 19.

[3]) Ita fecit O. E. Schmidt, Jahrb. p. 703 seq.

[4]) Idem III 55 Galliae Antonio a populo decretae ipsum Ciceronem interfuisse dicit, id quod nullo modo potest probari.

Non. Jun. lege, Macedoniam Antonio Non. Jun. senatusconsulto obtigisse pro certo contendit. Unde videmus, quo acrius se imbuant rebus viri docti, eo incredibiliora nonnumquam ab iis proferri, si simplicissimae res neglegantur vel nimis argute intelligantur. Schmidt contra (Jahrb. p. 703) provincias a. d. VIII Kal. Mai. lege Antonia Cornelia consulibus datas esse proposuit ex frequentia epistularum. Quod argumentum ne opus quidem est redarguere.

Quaeritur tum, a quo consulibus provinciae decretae sint. Ac perlegenti mihi Appiani narrationem (III 7—8) etiam atque etiam mirum videtur, cur non eodem modo provincias acceperint. Sed ob id ipsum non debet dubitari de fide scriptoris. Nam qui fingit, ita fingit, ut plana sit res et perspicua, non mira atque obscura. Conabor detegere difficultates, et si fieri potest, rationem ac viam ostendere caliginis dissolvendae. Qui nuperrime rem tractavit, O. E. Schmidt (Jahrb. p. 705), perspecta difficultate statuit utrumque consulem provinciam lege a populo accepisse. Sed etiamsi illud leve puto, quod hac re nihil proficitur, cum difficultatibus, quae iam exstant, nova quaedam adiciatur, quia antea Dolabella solus, sic etiam Antonius contra leges fecit: tamen imprimis hanc rationem in interpretandis auctoribus plane reiciendam puto, qua Appiani narratio rescinditur, probabiliora non dantur. De Syria enim potest dubitari, de Macedonia non potest, quin a senatu decreta sit. Hoc igitur retinendum, hinc proficiscendum est.

Drumann contra (I 159) et Lange (R. A. III 498) sequuntur uterque Appianum (III 7—8). Quo teste Dolabella provinciam et imperium a populo accepit lege, obnuntiante Nonio Asprenate[1]) trib. pl. a senatu corrupto, Antonius autem postea senatusconsulto Macedoniam. Quamquam Drumann Dolabellam antea a senatu Syriam postulasse,[2]) sed repulsam tulisse statuit et tum demum populum adisse. Et quoquo modo res se habet, concedendum est, ultra Drumanni vel Langeii sententiam ad tempus nos progredi non posse in hac re. Atqui non intelligitur, cur Cicero, si profecto Dolabella Syriam a populo solo contra leges accepit, quin haec legitima consulis provincia fuerit, numquam sit in dubitatione versatus (Phil. XI 4 et 28), Galliam vero a populo Antonio datam ei semper abiudicarit, Macedoniam concesserit ut a senatu legitime assignatam (ibid.

---

[1]) Is hoc anno tribunus fuit, non 706, ut vult Garofalo, i fasti dei tribuni della plebe, p. 118. cf. Mommsen St. R. I 112 n. 2, 113 n. 3.

[2]) Num id ita acciderit decerni non potest. cf. p. 14 seq.

et apud Dionem 45, 20). Accedit, quod Dio (45, 9 et 20) rem ita exponit, ut secundum leges omnia evenisse videantur: nominatio provinciarum consularium per senatum et sortitio a consulibus facta.

Crediderim igitur aliquo modo senatum provinciae Syriae Dolabellae traditae assensum esse. Quod ita accidisse, inde fit plane necessarium, quod ipse senatus postea alias Bruto et Cassio provincias decrevit (cf. p. 17 seq.).

2. De permutatione provinciarum.

Vidimus superiore huius capitis parte non multum post Idus Martias consulibus provincias Syriam et Macedoniam in a. 711 esse decretas. Postea vero Antonium pro Macedonia Galliam lege accepisse satis constat auctoritate omnium, qui res post caedem Caesaris gestas perscripserunt. Recte igitur Livius (ep. 117) legem de permutatione provinciarum latam commemorat. Sed quo tempore lata sit lex, de hac re valde dissentiunt viri docti.

Ac Krause quidem (App. als Quelle p. 22) hoc inter exeuntem Quinctilem mensem et initium mensis Septembris accidisse probare conatus nemini, ut opinor, persuasit. Neque enim leges, quarum altera alteram tollit, tam brevi temporis spatio intermisso datas esse facile intelligitur (Schmidt, Jahrb. p. 701); et antea provinciam Galliam exercitumque Parthicum Antonio delata esse compluribus de causis cognoscitur. Primum enim in epistula ad Matium exeunte mense Sextili scripta[1]) (ad fam. XI 27. cf. ibid. 28) Cicero vehementer questus est de duabus rebus, et quod Matius suffragium tulisset in lege quadam, et quod ludos victoriae Caesaris Octaviano curavisset. Unde si legem de permutatione provinciarum significari Rueteio (p. 29) concedimus — id quod concedendum est meo quidem arbitrio — elucet legem et ante Kal. Sept. latam esse nec non ita multo ante, cum Cicero ut de re pridem gesta loquatur, et ante ludos Caesaris, quos ab a. d. XIII usque ad III Kal. Sext. datos esse docuit Mommsen, C. J. L. I p. 397. Deinde iam a. d. VII, VI, V Id. Quinct. (Att. XVI 5, 3; 4, 4; 2, 4) rumores exstiterunt de adventantibus legionibus[2]). Et quid legionibus ad bellum Parthicum seu Geticum destinatis cum

---

[1]) cf. Ruete p. 29 seq.

[2]) Inde iam Schmidtio, Jahrb. p. 718, probabile visum est permutationem mense Junio factam esse: *ein Gerücht, das die lex de perm. pr. vorauszusetzen scheint.*

Italia, nisi Gallia cisalpina bellumque Bruto inferendum iam delatum erat? Et hoc mihi est gravissimum argumentum ad statuendum terminum, ante quem res facta sit.

Sed potest tempus accuratius definiri Ciceronis testimoniis. Antonium enim ab initio Galliam spectasse Macedoniamque non nisi ad celanda consilia proposuisse O. E. Schmidt (Jahrb. p. 706) recte docuit ex epistulis ad Att. XIV 14,4 et ad fam. XI 1,1. Tamen a. d. X Kal. Jun. nihildum in ea re acciderat, cum ne constaret quidem, utrum per senatum an per populum Antonius acturus esset in provincia D. Bruto eripienda (Att. XV 4,1). Qui ipse etiam tum per senatum agere in animo habuisse videtur (ibid. § 4). Sed mutata res est paulo ante Kalendas. Metuitur enim iam a. d. VI fere Kal. Jun. (cf. p. 38 N. 27) a bonis civibus, ne quid L. Antonius in D. Brutum, reliqui tribuni in M. Brutum et C. Cassium moliantur (Att. XV 5, 3).

Et profecto postridie Kalendas agitur per populum. Nam lege tribunicia sine promulgatione lata numerus annorum prorogatur provinciis consularibus[1]) in quinquennium (Phil. I 6 et 25; II 6 et 109; V 7[2]); VIII 28). Quam legem latam esse Kal. Jun. vel prid. Kal. Lange, R. A. III 501, Kal. Schmidt, Jahrb. p. 709, probare conati sunt. Nec tamen mihi quidem persuaserunt. Nam ex Phil. I 6 efficitur non ipsis Kalendis rem factam esse, sed circa Kalendas; atque ex Phil. II 108/9 apertum fit statim post senatum Kal. Jun. habitum[3]) provinciis annorum numerum prorogatum esse. Quod sane ipsis Kalendis fieri potuit ex Ciceronis verbis. Nec tamen per se verisimile est nec licuit lege Pupia eodem die senatum et comitia haberi,

---

[1]) Zumpt. comm. epigr. II p. 244 in ep. ad Att. XIV 14, 4 vocabulum *utrisque* falso revocavit ad Gallias. Referendum est ad consules; respondent enim inter se: *et ipse ... et utrisque*. Utrique vero consuli provinciam prorogatam esse constat ex ep. ad Att. XV 11, 4.

[2]) Hoc loco sexennium peccatum esse pro quinquennio ostendit Schmidt, Jahrb. p. 708. Mommsen, die Rechtsfrage p. 43, auctore Livio, ep. 108, censuit Phil. VIII 28 et Att. XV 11, 4 quinque annos legis solos dici, Phil. V 7 additum esse annum, quo succederetur. Idem iam antea Zumpt proposuerat, l. c. p. 245. Sed aptius videtur statuere peccatum esse a librario quam inconcinne dictum a Cicerone [biennium ... sexennium cf. Phil. I 19]. Drumann, I 165, vult sex annos. Marquardt, Röm. Staats-Verw. I 525 in medio reliquit, utrum in VI an V annos, sed recte dixit hac lege Antonio et Dolabellae solis imperium prorogatum esse lege Julia de provinciis non eversa.

[3]) Kal. Jun. senatum fuisse probabile fit ex Phil. I 6, II 108 seq. Quae vero hoc die acta sint in senatu, non liquet. De provinciis non rettulisse videtur Antonius. Nam senatusconsulto eadem tum perterritis patribus conficere potuit quae comitiis.

nisi ille contionem sequeretur (Mommsen St. R. III 2 p. 921 seq.). Quam ob rem Drumanno (I 166) concesserim rem post Kalendas tractatam esse. Sed certus dies invenitur et ep. ad Att. XV 11, 4, ubi Cicero dicit se a Dolabella legatum esse a. d. IV Non. Jun., quam legationem legem tribuniciam de provinciis in quinquennium prorogandis subsecutam esse arbitror.

Eodemque die senatusconsultum, quod factum erat iam mense Martio, ut consules de actis Caesaris cognoscerent cum consilio, firmatum est lege, 'quae lex earum rerum, quas Caesar statuisset, decrevisset, egisset, consulibus cognitionem dedit' (Att. XVI 16, 11; Phil. II 100). Quam legem ex Drumanni sententia (I 163) antecessit senatusconsultum Kal. Jun. factum, quo consulibus consilium datum est. Sed hoc falsum videtur. Nam ex ep. ad Att. XVI 16, 11 sequitur, ut cognitio, a senatu mandata, a consulibus in Kal. Jun. dilata sit, non ut eo die senatus habitus sit de cognoscendis actis. Atque ex Phil. II 100 nihil apparet nisi fuisse senatusconsultum, quo consules iussi sint sive Kal. Jun. sive inde ab Kal. Jun.[1]) de actis Caesaris cognoscere cum consilio (cf. Mommsen St. R. III[3] 2 p. IX n. 2).

Num autem aliae quoque leges a. d. IV Non. Jun. latae sint et quae (Phil. II 6 et 109), diiudicari non potest: lex de permutatione provinciarum tum non lata esse videtur. Nam Nonis fere Juniis (Att. XV 10) Cicero etiam metuit, ne quid gravius de D. Bruto eveniat. Post vero Nonas aliquamdiu nihil audimus apud Ciceronem de permutatione. Postridie demum Idus is quasi praeter rem et invitus mentionem facit de consulum ficto timore (Att. XV 17)[2]). Qui timor revocandus est meo quidem arbitrio ad imminens bellum Geticum[3]), de quo

[1]) Phil. II 100 ante *Kal. Jun.* recentiores codices exhibent *ut ex*, quod Mommseno (l. c.) placuit, sed deest in Vaticano. Et quamvis ad rem nihil valeat, utrum legatur, cum statim a. d. IV Non. Jun. lex intervenerit, tamen maluerim recentiores codices sequi, quia uno die cognitio fieri satis apte non potuit.

[2]) Ciceronis in hac epistula verba non eodem modo ab interpretibus intelliguntur. Equidem rem ita se habere censeo, ut primum Cicero de re publica loquatur: *de Bruto ... de consulum ficto timore cognoveram; Sicca enim ... suspicionem pertulit. Quid tu autem ... nullum enim verbum a † Siregio: non placet,* tum demptis verborum coniunctionibus transeat ad res familiares initio capto de Plaetorio vicino. Quam ob rem facile fieri potest, ut illud *τὰ μὲν διδόμενα* revocandum sit ad rem publicam i. e. ad legiones Parthicas vel provinciam Galliam.

[3]) Fufius Calenus apud Dionem (46, 24 et 25) quem secutus est Schmidt, Jahrb. p. 718, Antonium legionibus praefectum esse contendit, cum metus esset, ne tumultuarentur. Quod nequaquam mihi probatur.

accuratius verba fecit Appianus III 25. Probabile est consules hunc timorem finxisse, quo paratiorem populum haberent ad legiones prope Italiam relinquendas. Quem timorem lex Antonia Cornelia[1]) de permutatione provinciarum secuta esse videtur[2]) comitiis centuriatis[3]) lata per vim (Liv. ep. 117).

Neque igitur mirum est Ciceronem tum summo dolore et desperatione captum esse, id quod praecipue elucet ex ep. ad Att. XV 20. Ibi enim graves lamentationes proferuntur de malo rerum statu: *discessus desperationis, non legationis.... ais extrema quaedam iam homines de re publica loqui.... exire constitui, non ad fugam, sed ad spem mortis melioris: haec omnis culpa Bruti..... utra ergo castra — media enim tollit Antonius —? illa infirma, haec nefaria.* Eodemque tempore Q. Cicero ad partes liberatorum transiit, ut mihi quidem videtur, ob nimiam Antonii immodestiam[4]). Nam quod Cicero Att. XV 21,1 de dictatura adfert, vehementer dubito an vera causa fuerit.

Et si quis forte quaerit, cur non lege tribunicia de provinciis consularibus Gallia quoque Antonio decreta sit, ut quondam Caesari[5]) una lege Vatinia haec provincia in quinquennium obtigerit utque rerum nexui congruere videatur: sane concedo et initio hoc spectasse Antonium (Att. XIV 14,4) et ita esse exspectatum a plerisque (Att. XV 4,1 et 4; 5,3). Tamen si recte fictum illum consulum timorem ad bellum Geticum rettulimus, non potest Gallia Antonio a. d. IV Non. Jun. delata esse. Ex hoc enim timore tota res pendet. Apertum igitur est intervenisse aliquid, ita ut Antonius cogeretur veteranorum suffragia lege agraria antea lata sibi parare (cf. p. 16).

Statuimus de tempore; restat, ut exquiratur, quid sit consuli traditum. Qua in re certissimo Appiani (III 30) testimonio constat non solum Galliam, sed etiam exercitum Parthicum Antonio delatum esse a populo decretumque, ut consul D. Brutum, nisi antea cessisset, exercitu in Italiam adducto vi pelleret provincia (App. III 55). Quae duae res etiam apud Ciceronem inter se cohaerere videntur, cum statim post legem perlatam rumores existant de advenientibus in Italiam legionibus (cf. p. 8 seq.).

---

[1]) Dolabellam quoque perferendae legi interfuisse apparet ex Phil. V 9. cf. p. 4 seq.

[2]) Lange, R. A. III 502 seq.

[3]) Mommsen St. R. III 379.

[4]) Att. XV 19, 2 ait Quintus se haec ferre non posse. Quio autem illud sit, cognoscitur ex superioribus: *de armis nihil vidi apertius.*

[5]) Hunc Antonius in omnibus rebus imitatus est. cf. Mommsen, Die Rechtsfrage, p. 43 n. 111.

Neque aliter tradidit Dio (45,9). Idemque invenitur apud Nicolaum, qui nexum quendam fuisse statuit, cum dicit: *ἀλλαξάμενος Γαλατίαν ἐπαρχίαν πρὸς Μακεδονίαν μετεβίβαζε τὰς ἐν αὐτῇ δυνάμεις εἰς Ἰταλίαν* (c. 30. cf. Schmidt, Jahrb. p. 717). Quam ob rem dubitandum omnino non esse censeo, quin eadem lege Antonio et Gallia provincia et bellum D. Bruto inferendum et legiones Parthicae delata sint.

Quae vero provincia Antonio data sit, de hac re magna est adhuc virorum doctorum dissensio. Ac Lange quidem (R. A. III 503) et post eum Schmidt (Jahrb. p. 714 seq.) non solum Galliam cisalpinam, verum etiam Munatii Planci provinciam Galliamque septemtrionalem, ab Aurelio pro Hirtio administratam, consuli obvenisse censuerunt; quamquam Schmidtio de Hirtii provincia non satis firmum est visum. Drumann vero (I 162 et 164) solam cisalpinam Galliam, D. Bruti provinciam delatam esse statuit. Et in eandem sententiam, etsi plus antea consulem postulasse pro certo habuit, A. W. Zumpt decrevit, cum dicit (Ihne, Röm. Gesch. VII p. 478): *es steht aber fest, dass er am Ende das cisalpinische Gallien als Provinz erhielt.*

Et hoc puto retinendum esse. Nam Appianus, qui rem plerumque recte perspexit atque exposuit, de sola Bruti provincia verba fecit III 27: *ἠξίου τὴν βουλὴν ἀντὶ τῆς Μακεδονίας ἐναλλάξαι οἱ τὴν ἐντὸς Ἄλπεων Κελτικὴν ἧς ἡγεῖτο Δέκμος Ἀλβῖνος,* et saepius de erepta Decimo provincia narravit (c. 30 et 37) Antoniique provinciam eandem fuisse dixit, quam C. Julius Caesar quondam a populo accepisset[1]) (c. 55 et 27). Cui lege Vatinia solam Galliam cisalpinam cum Illyrico delatam esse, Narbonensem autem postea a senatu additam constat inter omnes. Idemque invenitur apud Dionem (45, 9), qui ita loquitur de hac re: *τὴν δὲ Γαλατίαν τὴν ἐντὸς τῶν Ἄλπεων, ἣ ὁ Βροῦτος ὁ Δέκμος προσετέταχτο, αὐτὸς ἐκεῖνος . . . ἀντιλαβεῖν* sc. *ἠδυνήθη.*

Ex Cicerone vero rem aliter se habere demonstrari non potest. Qui quod a. d. V Kal. Mai. ab Attico de provinciis Galliis ab Antonio postulandis nuntium accepit, inde intelligimus nihil aliud nisi consulis consilia ne in urbe quidem tum satis perspecta fuisse vel profecto eum illo quidem tempore, de utraque Gallia cogitasse, id quod Zumptio placuit.

[1]) Miror, quo modo Schmidt, Jahrb. p. 715 n. 1, neglecta illa appositione de provincia a populo lege data ex Appiani verbis contrariam rem efficere potuerit, ut utraque Gallia tum delata sit, idque eo magis cum ipse de Narbonensi plane negaverit.

Nullam autem aliam provinciam ad extremum fuisse Antonii quam Galliam togatam, plane cognoscitur ex ipsius ad senatum mandatis (Phil. VIII 27). Nam quae ibi § 25 de duabus provinciis scripta sunt, revocanda puto ad Galliam cisalpinam et Macedoniam, quam illo tempore suam vocabat omnino, quoniam Gaius frater erat inde revocatus (Phil. VII 3). Quocum bene congruit, quod statim post Idus Martias consul D. Bruto scripsit, se ei Galliam cisalpinam dare non posse (ad fam. XI 1, 1)[1]), postea vero exeunte mense Maio et ineunte Junio Cicero saepius metuit, ne D. Bruto provincia eripiatur (cf. p. 9).

Non possunt haec certa et multa testimonia refelli uno illo *remissis provinciis Galliis* (Phil. I, 8), quod nescio utrum ad Galliam cispadanam et transpadanam referendum sit an exaggeratum a Cicerone. Quamquam fateor, si quis ad haec verba sola totam rem revocare studeat, eum facile inde colligere posse aut posteriore tempore permutationem factam esse aut antea utramque Galliam delatam. Nam quod Zumpt (Ihne, Röm. Gesch. VII p. 478) probare voluit acceptam semel a populo provinciam remitti non potuisse, ipsius Ciceronis auctoritate redarguitur (Phil. VIII 25 et 27; VII 2).

Ac si quaeritur a quo consuli provincia decreta, exercitus traditus bellumque cum Bruto gerendum delatum sit, iam supra diximus plebiscito hoc evenisse. Sed necesse est paulo diligentius rem perscrutari. Nam etiamsi ex Dione nihil efficitur, quia is modo contra leges consulem Galliam obtinuisse dicit (45, 20 et 34), modo de hac provincia deque legionibus traditis exstitisse senatusconsulta pro certo contendit (46, 23 et 24; 45, 22), tamen Appiano teste res ita se habuisse videtur: Primum Antonius a senatu ficto Getico timore exercitum Parthicum accepit, una legione antea Dolabellae concessa (c. 25 et 37) — id quod Drumann (I 158 seq.) et Lange (R. A. III 502) et Zumpt (comm. epigr. II p. 247; Ihne, Röm. Gesch. VII p. 478) ita crediderunt, etiamsi de tempore non eadem erant sententia. — Deinde consul ab eodem ordine Galliam cisalpinam petiit D. Bruto Macedonia proposita (c. 37 et 49), sed repulsam tulit consiliumque cepit auctoribus Caesare et Dolabella provinciam a populo postulare (c. 27). Tum ei senatu prohibente, tribunis corruptis Gallia cisalpina lege delata est decretumque, ut D. Brutum, si ita esset necesse, armis pelleret (c. 30 et 55).

[1]) De tempore cf. Ruete p. 16 seq.

Nec vero omnia recte ab Appiano enarrata esse videntur. Nam quae leguntur de exercitu Parthico ob timorem Geticum Antonio a senatu tradito, retinere non possumus. Quo enim tempore hoc factum esse putamus? Nam pactum illud secretum, quo Dolabellae legio data est (App. III 25; Phil. XI 4 et 16), eodem tempore evenisse, quo Syria et Macedonia in consulum potestatem delatae sunt, mihi quidem omni modo probatur. Et hoc libenter Drumanno concesserim (I 158), quia post acceptas semel a populo sex legiones simul cum provincia Syria facile fieri non potuit, ut quinque Dolabellae adimerentur magno alio commodo nec proposito nec dato.

Senatum autem ante Antonii ex urbe profectionem pactum consulum secretum auctoritate sua confirmasse prorsus incredibile mihi videtur: primum, quia medio fere Aprili mense bellum Parthicum ad Dolabellam pertinuit (cf. p. 5) neque una legione geri potuit; tum quia, si recte fictus ille consulum timor (Att. XV 17, 1) ad Getas refertur, id quod equidem crediderim, rem post medium mensem Junium accidisse manifestum esset, quod nullo modo potest probari. Etenim si Antonius tum a senatu exercitum contra Getas accepisset, quo tandem tempore Galliam delatam et bellum cum Bruto gerendum consuli mandatum esse putandum est, cum iam ante Idus Quinctiles graviores rumores existerent de adventantibus in Italiam legionibus? An eodem tempore provincia bellumque delatum fuit a populo, exercitus traditus a senatu contra Getas? Praeterea, cur ei, qui comitiis centuriatis omnia, quae voluit, perficere potuit peragratis veteranorum coloniis, cui statim post Idus Junias (cf. p. 10 seq.) bellum cum Parthicis copiis D. Bruto inferendum delatum est, paucis ante diebus easdem copias a senatu postulare opus fuit?

Quamobrem cum Schmidtio (Jahrb. p. 716) arbitror Antonium legiones non senatusconsulto accepisse, sed a populo simul cum provincia Gallia. Secretum autem consulum de legionibus pactum iam cum provinciis Syria et Macedonia decretis confectum esse persuasum habeo totamque Appiani narrationem de timore Getico ac delato exercitu revocandam censeo ad comitia, non ad senatum (cf. p. 15).

Quaeritur tum, utrum Antonius, priusquam populum adierit, a senatu Galliam petierit necne. Quam rem etiamsi diiudicare nos non possumus, tamen ego quidem potius crediderim cum Langeio (R. A. III 503) consulem confestim a populo postulasse, idque hisce de causis. Post percursationem illam mense Aprili atque Maio factam Antonius ad Kal. Jun. in urbem redierat cum magna multitudine veteranorum (Phil. I 6; II 100;

ad fam. XI 2; Att. XIV 22, 2; Att. XV 5, 3), qui suffragium ferrent comitiis centuriatis. Cur igitur paratis comitiis antea senatum adire et repulsam ferre opus fuit? Quam porro laturum eum fuisse non facile probatur perdomitis per veteranos patribus. Credendum potius est nihil senatum Antonio tum denegaturum fuisse.

Ac perlegentibus nobis Appiani narrationem (III 27 et 30) apertum fit rem non satis perspicuam esse. Primum enim ait consulem a senatu provinciam postulasse, sed repulsam tulisse (c. 27). Deinde altero loco lege promulgata senatum dicit statuisse, quid in hac re faciendum esset, si consul per senatum, quid, si neglecto senatu statim per populum ageret; Antoniumque fortiter respondisse. Tum legem comitiis latam esse certo die (c. 30). Ergo promulgata iam lege Antonius ad senatum rettulit de provinciis senatusque deliberavit ac prohibendi consilium cepit? Hoc per se nec facile fieri potuit et occurrunt mihi, quae idem scriptor de Syria Dolabellae provincia paulo antea (c. 7) exposuit, ubi similia dixit de promulgata lege adiectis obiter nonnullis verbis de senatu antea rogato.[1]) Quos locos qui contulerit, ei fortasse scriptor actionem contra leges a consule factam reddere legitimam voluisse videbitur. Idemque haud scio an statuendum sit de exercitu Parthico a senatu tradito.

Quare ita censeo: num Antonius, num Dolabella repulsa a senatu lata populum adierint, certo decerni non potest, quamvis equidem id minime crediderim. Sed aut neutrum aut utrumque id fecisse apertum est; neque aliter puto esse iudicandum de exercitu Parthico. Itaque Drumann (I 158 seq.) in utraque causa senatum antea rogatum esse pro certo contendit secutus Appiani auctoritatem, Lange (R. A. III 498 et 502 seq.) negavit, quamquam legiones a senatu datas esse censuit.

Ac si senatum Antonius non rogavit, D. Bruto Macedoniam non obtulit. Hae enim quaestiones artissime inter se cohaerent. Ad populum autem de Macedonia omnino latum non esse persuasum habeo. Quamobrem suo iure Drumann (I 164) et Zumpt (comm. epigr. II. p. 247), ut consulem primo legitime a senatu provinciam petisse credunt, ita Bruto Macedoniam propositam esse dicunt auctore eodem Appiano. Quos errasse, cum quae de Macedonia protulerint, lege effecta esse arbitrentur inde probabile fit, quod a. d. IV Kal. Dec. Macedonia sorte C. Antonio obvenit (Phil. III 26).

[1]) App. III 7: *αὐτίκα προυτίθει τὸν νόμον, καὶ τῆς βουλῆς αἰτιωμένης ..... ἔφη κτλ;* III 30: *ὅ τε νόμος ὁ περὶ τῆς Κελτικῆς προυγράφετο αὐτίκα, ὀρρωδούσης πάνυ τῆς βουλῆς καὶ ἐπινοούσης κτλ.*

Promulgatam autem legem de permutatione provinciarum esse ab Antonio[1]) Appiano credi potest (III 30: *ὅ τε νόμος ὁ περὶ τῆς Κελτικῆς προυγράφετο αὐτίκα*). Leges enim, quas ipse tulit Antonius, promulgavit: ut de tertia decuria (Phil. I 19), de provocatione ibid. 21 et 25). Sed quaeritur, quo tempore lex promulgata sit. Quod a. d. X Kal. Jun. accidisse non potuit (Att. XV 4, 1 et 4), Non. Jun. potuit (ibid. 10). Intra hoc igitur tempus promulgatio facta est, si promulgata lex est. Quamquam si res ita evenit, statuendum est illo tempore alias ab Antonio sine promulgatione leges latas esse, de quibus nihil accepimus (Phil. II 6), nisi quis forte Ciceronem hoc loco exaggerasse legesque de Antonio et ab Antonio latas commiscuisse putat.

Num vero Octavianus perferendae de permutatione legi interfuerit, ut Appianus ait (III 30,) diiudicare non possumus. Tamen per se facile fieri potuit, praesertim cum ex Cicerone compertum habeamus, fecisse Octavianum cum Antonio; is enim iuvenem a consule seiungendum esse Attico scripsit a. d. IV fere Id. Jun. (Att. XV 12, 2; cf. Ruete p. 8). Tamen equidem non puto solius Octaviani opera et gratia legem esse perlatam (App. III 30). Nam Antonius ipse mense Junio permultum apud populum valuit omniaque, quae voluit, comitiis centuriatis conficere potuit, cum stipatus armis, coloniis veteranorum peragratis ad urbem se rettulisset (Phil. II 100).

Eodem fere tempore, sed iam ante perfectam de permutatione provinciarum legem L. Antonius trib. pl. ad conciliandos veteranorum animos (ad fam. XI 2,3) legem agrariam[2]) tulit (Att. XV 12,2; 15,1; 17,1; Dio 45,9) tonante Jove (Phil. V 7). Qua lege instituti sunt septemviri agris dividundis, quorum in numero fuerunt cum alii, tum tres Antonii: Lucius tribunus (Phil. V 21). Marcus consul (ibid. 33), Gaius praetor (Att. XV 19,2).

De tribus mense Junio legibus a consulibus et de consulibus latis accuratius verba fecit Cicero Phil. V 7 seq. Tamen ordinem non recte servavit, cum primum loquatur de lege agraria L. Antonii, deinde de provinciis consularibus, tum de lege Antonia Cornelia de permutatione provinciarum. Sed videtur ea de causa rerum gestarum ordinem neglexisse, quia profectus est hoc loco ex urbe dividenda, agris condonandis actisque Caesaris, in quibus fuerat de paludibus Pomptinis siccandis.

[1]) Hoc factum esse Schmidt contendit, Jahrb. p. 719.

[2]) Lange, R. A. III 503. Drumman (I 113) hanc legem commixtam cum lege de coloniis deducendis iam mense Aprili latam esse censuit.

3. De provinciis Bruto et Cassio datis.

a. de frumentario negotio.

Quoniam exposui de Syria et Macedonia deque permutatione provinciarum, restat, ut verba faciam de provinciis M. Bruto et C. Cassio datis, id quod mihi extremum proposueram, cum essem de provinciis dicturus.

Praetoribus enim in a. 711 provinciae a Caesare destinatae actisque eius tertio post Idus Martias die senatusconsulto comprobatis (Phil. I 31 et 6; II 89) servatae erant Bruto Macedonia, Cassio Syria. Quae provinciae cum paulo post dictatoris mortem iis a consulibus ereptae essent (cf. p. 4 seq.), necesse erat alias praetoribus decernere provincias.

Ac primum[1]) ea res tangitur in epistula a. d. VI fere Kal. Jun. scripta (Att. XV 5, 2 cf. p. 38 N. 27). Qua in epistula Cicero dicit se ab Attico et Balbo certiorem factum esse, de provincia Bruti et Cassii per senatusconsultum decretum iri. Proximus autem senatus fuit Kal. Jun. Nec vero potest diiudicari, num eo die de hac re in senatu a consulibus verba facta sint (cf. p. 9 n. 3): hoc tantum constat ex epistulis ad Att. XV 6, 2; 9, 1 rem seu a senatu seu a consulibus dilatam esse ad Nonas. Nec minus perspicuum est iam tum commutatam rem esse, ita ut praetoribus non provinciae decernerentur, sed ut frumenti curatione ex Italia removerentur, cum iam a. d. IV Non. Jun. Balbus scripserit Ciceroni: *fore Nonis senatum, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia frumentum emendum et ad urbem mittendum curarent* (Att. XV 9). Nam quod addit Balbus: *eodem tempore decretum iri, ut et iis et reliquis praetoriis provinciae decernantur*, apparet ex ipsius scriptoris verbis hoc non publice constitutum fuisse, sed Balbi esse suspicionem. Dicit enim primum *fore senatum, ut,* tum *ait autem eodem tempore decretum iri.* Quam Balbi de provinciis praetoriis coniecturam fuisse falsam inde fit probabile, quod de frumentario negotio senatusconsultum est effectum Non. Jun. (Att. XV 11), de provinciis reliquorum praetorum non item (Phil. III 25).

Qua frumenti curatione vehementer offensi sunt Brutus et Cassius, ut consilio a. d. VI Id. Jun. Antii habito vix adducerentur ad senatusconsultum persequendum, Cassiusque non

[1]) Num iam ad Att. XIV 14, 7 res indicetur, id quod secutus falsam illam opinionem, qua a. d. VIII Kal. Mai. Syria et Macedonia praetoribus ereptae esse dicuntur, O. E. Schmidt (Jahrb. p. 710) probare voluit, non satis constat.

nisi ita cederet, ut frumentarium negotium de senatusconsulto tolleretur; quod ut fieret Servilia, Bruti mater, pollicebatur se curaturam esse. Nec minus aegre eiusmodi legationem Cicero tulit, cuius graves querimoniae leguntur in ep. ad Att. XV 9.

Hoc igitur senatusconsultum Non. Jun. evenit. Eodemque, ut videtur, tempore referente Antonio M. Brutus, praetor urbanus, legibus solutus est, si ab urbe plus quam decem dies afuisset (Phil. II 31. cf. Drumann I 139, Lange, R. A. III 502)[1]). Quod ut statuam hoc tempore factum esse, hisce causis perducor. Primum enim, cum plerique scriptores (App. III 6; Nic. 17; Cic. ad fam. XI 2 et saepius) concedant liberatorum ex urbe egressum fuisse fugam, quia tuto ibi esse iam non poterant, non facile probatur iis tempus fuisse antea senatus rogandi. Deinde frumenti curationem cohaesisse cum senatusconsulto, quo Brutus legibus solutus sit, et rebus plane congruit et ex Appiani narratione elucere videtur, qui has duas res composuit (III 6), seiuncta provinciarum distributione et alio loco exposita (III 8). Quem rerum nexum fuisse etiam Zumpt, comm. epigr. II 238, intellexit eamque ob causam iam mense Aprili senatum praetoribus, priusquam urbe cederent, legationem aliquam, maxime frumentariam, iniunxisse coniecit, id quod nullo modo e scriptoribus probari potest et plane pugnat cum Ciceronis epistulis. Quamquam Zumpt rem ita interpretari debuit, cum circa Idus Apriles Bruto absentiae veniam datam esse putaret, quia 'Kal. Jun., cum plus quam mensem abfuissent, decerni, ut liceret abesse, contra rationem ac turpissimum erat'. Sed cur ineptum fuit rem temporum magis necessitate quam iudicio factam postea comprobare ac sancire?

Quamobrem mihi quidem persuasum est legationem frumentariam et veniam absentiae datam divelli non posse, sed eodem senatusconsulto decretas esse Non. Jun.

Quo senatusconsulto liberatores ex Italia depellere voluisse Antonium, ne impediretur in consiliis suis perficiendis, cognoscitur et ex eorum indignatione et ex desperatione Ciceronis. Neque igitur dubitari potest, quin Non. Jun. a senatu decretum sit, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia frumentum emendum et ad urbem mittendum curarent[2]); nec recte Drumann (I 139)

---

[1]) Peter, Philolog. VIII 427/8 ex ipso Ciceronis loco rem ante praetorum ex urbe profectionem accidisse collegit. Nec vero potest quidquam de tempore e Ciceronis verbis effici.

[2]) Stetisse hoc senatusconsultum etiam paulo ante Kal. Sext. colligitur ex ep. ad Att. XVI 7, 1. cf. p. 24.

de Sicilia in dubitatione est versatus[1]). Nam cum a. d. VI Id. Jun. Cicero in Antiati ignorare iam non potuit, quid Nonis in senatu decretum esset, tum intelligitur ex posteriore epistula (Att. XVI 4, 4) usque a. d. VI Id. Quinct. nihil in hac re commutatum esse, quoniam Cicero in Graeciam navigaturus Cassii classem non numeravit ultra fretum Siculum.

b. de Creta et Cyrenaica.

Non. Jun. Bruto et Cassio a senatu frumentariam legationem impositam esse modo vidimus. Sed haec legatio prorsus alia res fuit ac decreta provincia. Tamen non omnes has duas res seiungendas esse censuerunt viri docti: Drumann quidem (I 163), quem secutus est Peter (Philolog. VIII 427), commixtis mirum in modum frumentario negotio et provinciarum assignatione affirmavit, Non. Jun. decretum esse, ut Brutus in Creta, Cassius in Cyrenaica frumentum coemendum curarent. Sed has res non esse confundendas cognoverunt omnes, qui post Drumannum rem tractarunt. E quibus Lange, R. A. III 502, statuit Non. Jun. provincias Cretam et Cyrenaicam decretas esse simulque frumenti curationem mandatam ex Asia et Sicilia[2]). O. E. Schmidt vero, Jahrb. p. 712, de provinciis ipsis nihil certi effecit, de tempore autem rem in medio reliquit, cum non posset demonstrari: *Ein direkter Beweis, dass Brutus und Cassius am 5. Juni entschädigt wurden, ist allerdings unerbringbar.* Quamquam paulo post concessit Nonas Junias tempus sibi maxime idoneum videri, quod de provinciis ut eo die decerneretur, statutum fuisset ac senatus esset habitus.

Atque ut primum statuamus, quae provinciae praetoribus datae sint: Cretam Bruto, Cassio Cyrenaicam decretam esse numquam erat omnino in dubium vocandum. Nam Appianus, quamquam apud quosdam invenit obtigisse Bruto Bithyniam, Cassio Cretam et Cyrenaicam, tamen hoc prorsus improbavit

---

[1]) Praetores iussos esse frumentum comparare ἐξ ὅσης δύναιντο γῆς falso scripsit Appianus III 6. Nam etiamsi illud leve puto, quod Asia et Sicilia aptissimae erant provinciae, e quibus frumentum in urbem comportaretur, tamen non licet omnino nobis dubitare propter gravissimam Ciceronis auctoritatem. Quare Zumptii conatum non laudo, qui diversas scriptorum narrationes confundere studuit (comm. epigr. II 243).

[2]) Idem fecit Vogeler, l. c. p. 22 seq.

(III 8; cf. ibid. 12 et 16).[1]) Bithyniam enim Tillii Cimbri fuisse constat ex Appiano ipso (III 6) et Plutarcho (Brut. 19). Et quod Plutarchus eodem loco Libyam fuisse Cassii provinciam dicit, iam Marquardt, Röm. Staats-Verw. I 461 n. 4, cognovit pentapolim Libyae indicari[2]), quia Africa illo tempore a Cornificio administrabatur.

Sequamur potius in hac re Appianum[3]) et Plutarchum, qui consentiunt in distributione provinciarum, praesertim cum de Creta ut Bruti provincia eorum testimonium a Cicerone confirmetur. Neque igitur recte Dio (47, 21) Cassio tribuit Bithyniam, Nicolaus Illyricum[4]) (c. 28).

Quaerentibus vero nobis, quo tempore Bruto et Cassio provinciae delatae sint a senatu — etenim quin a senatu datae sint, dubitari nullo modo potest — iam antea probabile visum est decretum omnino non fuisse, ut de provinciis praetoriis Non. Jun. statueretur (cf. p. 17.). Porro saepius in Ciceronis epistulis post Nonas de Asia et Sicilia fit mentio, de Creta et Cyrenaica nulla. Et cur Ciceronem, ubi de Antonii immodestia, de liberatorum calamitate[5]) questus est, de talibus provinciis decretis tacuisse putemus, id quod continenter litteris tum scriptis fecit?[6])

---

[1]) Miror, cur Schmidt, Jahrb. p. 712, statuerit: *Durch welche Provinzen Brutus und Cassius entschädigt wurden, ist nach unseren Quellen nicht endgiltig zu entscheiden . . . . . Appian selbst ist nicht zur Klarheit über diesen Punkt gelangt* [hoc prorsus falsum esse supra vidimus] . . . . . *Vielleicht erhielt Brutus Kreta mit Kyrene, was auch später als eine Provinz galt, und Cassius Bithynien.*

[2]) In eandem sententiam hanc vocem usurpant Sex. Fest. Rufus, brev. 13; Dio 49, 41: τὴν Λιβύην τὴν περὶ Κυρήνην; Plut. ipse in vita Antonii c. 54.

[3]) Drumann I 139: *Er* (Appianus) *hat hier das Vorurteil für sich, weil er in dem Anderen sich bewährt.*

[4]) Hoc loco *Illyricum* pro *Bithynia* scriptum esse Schmidt (Jahrb. p. 712) probare voluit. Sed praeterquam quod non facile intelligitur, quomodo *Illyricum* ex *Bithynia* fieri potuerit, nihil proficitur ea re, quoniam error ponitur pro errore.

[5]) Att. XV 10: *ludos vero non facere, quid foedius? frumentum imponere, quae est alia Dionis legatio aut quod munus in re publica sordidius?*

[6]) Schmidt (Jahrb. p. 712) hanc rem sic intelligendam esse proposuit: *Dass Cicero aber in den Briefen, welche die Beschlüsse vom 5. Juni berühren, immer nur die cura frumenti für 44 erwähnt, darf uns nicht befremden. Die Annahme oder Ablehnung dieses Auftrages war zunächst für die Verschworenen brennende Frage — die Provinzenfrage kam erst im Frühling 43 praktisch zur Geltung, überdies war es wohl von vornherein wahrscheinlich, dass sich Brutus und*

At sublato ex senatusconsulto frumentario negotio, quid relinquebatur, quod eundi causam Cassio daret? Hoc recte obicitur ab Zumptio (comm. epigr. II 243), auctore Drumanno, ut videtur (I 164). Et fateor facile fieri potuisse hac re, ut viri docti statuerent eodem senatusconsulto provincias quoque Cretam et Cyrenaicam praetoribus in a. 711 assignatas esse (Zumpt., l. c., Lange, R. A. III 502, Schmidt, Jahrb. p. 712); idque eo magis, cum ex iis, quae dixit Cicero in epistula ad Att. XV 11, 1: *atque ut omnino neque nunc neque ex praetura in provinciam ires*, elucere videatur Brutum eo iam tempore provinciam obtinuisse. Nolo enim, tametsi ab adversariis neglecta sunt, celare ea, quibus in contrariam partem res cuiquam diiudicari potest videri. Tamen hoc ex Ciceronis verbis non est concludendum. Nam de profectione in provincias in a. 711 traditas tum ne cogitari quidem potuit. Verba autem Ciceronis infinite dicta esse et provinciam Romae seu potius Italiae oppositam vel inde apparet, quod paulo antea rogatus, quo ire vellet, Cassius respondit: *in Achaiam*, quae certe ei non fuit decreta provincia. Res ita se habet, quasi Cicero dixerit: optatissimum mihi esset suaderemque maxime, ut neque nunc neque ex praetura Italia cederes, ubi vehementer opera tua opus est. Praeterea per se manifestum fuit Brutum peracta praetura pro praetore in provinciam iturum esse, ita ut iam ante delatam provinciam de hac re verba fieri possent.

Atque ut redeamus ad ea, quae a Zumptio opposita sunt: relinquebatur sublata e senatusconsulto frumentaria curatione legatio, qua praetores ex Italia expellere voluit Antonius. Qua legatione, quamvis moleste tulerint, quod discedere cogebantur, tamen non ita offensi sunt Brutus et Cassius quam adiecto contumelioso illo frumentario negotio. Quod quam odiosum eis fuerit, plane cognoscitur ex epistulis ad Att. XV 9—12.

Sed ex his, quae adhuc protuli, elucet provinciarum distributionem alio ac Nonis Juniis tempore non factam esse, sed fieri potuisse. Habemus tamen Ciceronis testimonium, quo comprobatur, provincias posteriore tempore decretas esse. Is enim Phil. II 31 hunc rerum gestarum ordinem praebet: *cur M. Brutus referente te legibus est solutus . . . . . cur ludi Apol-*

Cassius dem SC über die Provinzen nicht fügen würden. Sed etiamsi concedo provinciarum assignationem levioris illo quidem tempore momenti fuisse, tamen nihilo minus est mirum Ciceronem tam continenter reticuisse tot occasionibus oblatis. Utrum vero praetores senatusconsultum exsequi in animo habuerint necne, plane nihil pertinet ad rem.

linares incredibili M. Bruti honore celebrati? cur provinciae Bruto, Cassio datae, cur quaestores additi, cur legatorum numerus auctus?

Unde, si rectus est ordo, apertum est, post ludos Apollinares provincias Bruto et Cassio decretas esse. Neque enim scio, qua re commotus Cicero, qui semper accurate ac secundum ordinem res perscripsit, tempora neglexerit praesertim in hac elaborata ac bene considerata oratione, quae porro numquam habita est? Miror igitur, cur viri docti, qui ceteroquin ex Ciceronis narratione ordinem rerum efficere atque enucleare semper studuerint, hunc locum plane contempserint.

Accedit, quod Antonium initio mensis Junii, ubi plurimum valuerit, multa et magna per populum, nihil per senatum egerit, praetoribus non solum provincias dedisse, sed etiam quaestoribus additis legatorum numerum auxisse non facile probatur.

Quae cum ita sint, mihi quidem valde credibile videtur post ludos Apollinares provincias liberatoribus delatas esse. Cui bene respondet, quod a. d. VI Id. Quinct. atque etiam paulo ante Kal. Sext. senatusconsultum de frumenti curatione stabat (Att. XVI 4, 4; 7, 1. cf. p. 18 n. 2 et p. 25). Nam etiamsi non nego fieri potuisse, ut eiusmodi legatio provinciaeque in a. 711 assignatae conciderent, tamen in hac causa id accidisse vehementer diffido.

Habemus ergo terminos, post quos res evenerit: a. d. VI Id. Quinct., ludos Apollinares, extremos mensis Quinctilis dies. Ac si requirimus terminum ante quem: reliquis praetoribus provinciae decretae sunt a. d. IV Kal. Dec. (Phil. III 25 seq.). Bruto autem et Cassio iam antea datas esse provincias inde fit dilucidum, quod eorum nomina desunt in enumeratis praetoribus Ciceroque ipse ignominiose Bruto et Cassio destinatas provincias significat, cum dicit: *duarum, credo, provinciarum sortes minus divinas fuisse* (ibid. 26).

Propius autem accedimus ad tempus, si respicimus, quae apud eundem Ciceronem Phil. II 97 de Creta et Bruto leguntur: fixam esse nuper tabulam, qua civitates locupletissimae Cretensium vectigalibus liberarentur, statutumque esse, ne post M. Brutum pro consule esset Creta provincia. Fuerunt autem usque ad Philippicam secundam quattuor, quantum accepimus, senatus: Kal. Sext., IV Non. Sext., Kal. Sept., IV Non. Sept. (Phil. I 10; Att. XVI 7, 7; Phil. I 11 seq.)[1]). E quibus Kalendas Sextiles omni modo mihi praeferendas esse placet.

[1]) Singulos affero locos, quia omnes non possum.

Nam et verba ipsa Ciceronis (Phil. II 97) tempus paulo remotius indicare videntur, praesertim si conferuntur cum iis, quae iam a. d. IV Non. Sept. ab eodem dicta sunt de civitate populis universis data deque sublatis vectigalibus (Phil. I 24), et a. d. XVI fere Kal. Sept. Brutus ex Italia discessit[1]) (Phil. X 8; Att. XVI 7), eumque, cum proficisceretur, iam Cretam obtinuisse probabile fit ex Phil. XI 27, ubi legitur: *neque enim est in provinciam suam Cretam profectus.*

Sed ut planius cognoscatur, quae exeunte mense Quinctili et ineunte Sextili gesta sint in re publica, necesse est tres Ciceronis locos accuratius perscrutari: ad Att. XVI 7, Phil. I 8, ad fam. XI 3. Qui loci ad idem fere tempus circa Kal. Sext. spectant et ita inter se cohaerent, ut, nisi omnes adhibueris, rerum nexum non perspicias.

E quibus edictum Bruti et Cassii (ad fam. XI 3) viris doctissimis maximas praebuit difficultates, ita ut Drumann (I 142) fateatur: *In ihrer Antwort vom 4. August ist manches dunkel. Die Forderung, deren sie gedenken, kann sich nicht auf die Erlaubnis beziehen* e. q. s.. Post Drumannum autem nemo, quod sciam, tenebras dissolvere conatus est (cf. tamen p. 25 n. 2).

Ac perquirentibus hanc rem nobis proficiscendum est ab iis, quae Ciceroni ad Leucopetram a municipibus Reginis nuntiata sunt a. d. VII Id. Sext.[2]). Quos ante Kal. Sext. Roma discessisse perfacile probatur. Nam praeterquam quod nusquam nobis traditum est eos magna celeritate usos esse: intra sex septemve dies tantum iter confectum esse prorsus incredibile videtur[3]). Cicero enim, quamquam, ut ipse ait Phil. I 9, nec remi nec venti ei satisfacere poterant, a. d. VI Id., opinor, a Leucopetra profectus, celeriter devectus a. d. XVI Kal. Sept. Veliam venit, Romam vero prid. Kal.[4]). Nuntios

---

[1]) Cassii classis paucis post diebus consecuta est (Phil. X 8). Falso Zumpt (com. ep. II 249) discessum mense Septembri accidisse coniecit. Nec minus labitur Lange, R. A. III 514 n. 7, cum Brutum et Cassium Octobri mense Italia cessisse statuit. Nam quos affert locos, ep. ad fam. XII 2 statim post XIII Kal. Oct. dat. et ep. ad Att. XVI 8 Kal. Nov. dat., inde sequitur, ut afuerint tum liberatores, non quo tempore profecti sint. Ex Nicolao vero nihil colligendum est, quia is totum nexum conturbavit discessu praetorum ad Octaviani iter Campanum relato (c. 31).

[2]) Hoc die nuntium advenisse apparet e collatis Phil. I 7—8 et ad Att. XVI 7, 1.

[3]) Vel inde cognoscitur utroque Ciceronis loco, ad Att. XVI 7, 1 et Phil. I 8, Kalendas Sextiles indicari; cf. p. 41.

[4]) cf. Plut. Cic. 43; quocum conferatur Phil. I 11—12 et ad fam. XII 25, 3.

autem, priusquam Ciceronem convenirent, Regii constitisse ex ipsius oratoris verbis fit verisimile (Phil. I 8).

Ab his igitur Cicero accepit primum M. Antonii contionem, quae ei ita placuit, ut ea lecta de reversione inciperet cogitare. Neque ita multo post allatum ei est *edictum Bruti et Cassii plenum aequitatis, et fore frequentem senatum Kalendis, a Bruto autem et Cassio litteras missas ad consulares et praetorios, ut adessent rogare,* cum summa spes esset *fore, ut Antonius cederet*[1]*), res conveniret,* liberatores *Romam redirent* (Att. XVI 7, 1; Phil. I 8).

De quattuor ergo rebus Cicero ad Leucopetram certior factus est: de contione consulis, de edicto praetorio, de senatu Kalendis futuro, de litteris ad consulares et praetorios missis. Reliqua erant in spe. Sed inde potissimum cognosci potest, quid fuerit in contione atque edicto. Non enim debet dubitari ex testimonio Ciceronis, quin Antonius illo tempore cum senatu in gratiam redire studuerit, praesertim cum idem inveniatur apud Plutarchum in vita Ciceronis c. 43: *λόγων ἀπὸ Ῥώμης, οἷα φιλεῖ, καινῶν προσπεσόντων, μεταβεβλῆσθαι μὲν Ἀντώνιον θαυμαστὴν μεταβολὴν καὶ πάντα πράττειν καὶ πολιτεύεσθαι πρὸς τὴν σύγκλητον.*

Quod quidem per se facile intelligitur, cum ludis Caesaris ingenti apparatu institutis magnam sibi Octavianus apud populum et veteranos gratiam conciliasset. Itaque plus quam verisimile est Antonium ad captandos patrum animos aliquid remisisse ac proposuisse nonnulla in contione de Bruto et Cassio, quos permultum senatus intererat salvos esse ac liberos, pollicitumque esse relaturum se de iis Kal. Sext. Hoc enim constitutum fuisse colligitur ex *litteris a praetoribus ad consulares et praetorios missis, ut adessent rogare* eo die.

Quid autem Bruto et Cassio maxime curae fuerit, repetendum est ab iis, quae ineunte Junio mense agebantur. Quo tempore, postquam de provinciis decernendis spes eos fefellit, mandatam frumenti curationem vix tulerunt. Quamobrem consilium extremis mensis Quinctilis diebus fuisse puto, ut de duabus his rebus ad senatum referretur, seu Antonius contione eiusmodi consilium palam fecit, seu — id quod mihi multo probabilius videtur — quae ab eo prolata sunt, praetores in hanc sententiam sunt interpretati.

---

[1]) Hoc idem est, quod Cicero dicit Phil. I 8: *Antonium repudiatis malis suasoribus, remissis provinciis Galliis ad auctoritatem senatus esse rediturum.*

Sed habemus certum Ciceronis testimonium, unde appareat, hanc coniecturam veram esse. Nam de tollendo quidem frumentario negotio constitutum fuisse, ut Kal. Sext. verba fierent in senatu, inde fit plane apertum, quod spes exstiterat, fore, ut liberatores Romam redirent (Att. XVI 7, 1). Quo enim modo reditum sperare potuerunt, nisi exspectandum erat, fore, ut senatusconsultum de frumenti curatione tolleretur, quod a. d. VI. Id. Quinct. stabat (cf. p. 19)?

Atqui post M. Antonii contionem videntur Brutus et Cassius edictum proposuisse[1]), nempe quo palam fieret, quibus condicionibus res conveniret. Ergo quae postulaverunt hoc edicto a consule praetores, quae Drumanno obscura fuerunt, a Manutio aliisque pravissime intellecta sunt, revocanda puto ad tollendam frumentariam legationem provinciasque decernendas. Quae vero addiderunt: *non licere praetoribus concordiae et libertatis causa per edictum de suo iure decedere, quin consul arma minetur* imprimis ob illud *concordiae et libertatis causa* ad remissum ius praetorium referenda esse censeo, quo praetor urbanus et peregrinus in urbe esse debebant (Mommsen St. R. II[3] 1 p. 197[2]).

Praetores igitur edicto poposcerunt, ut frumentarium negotium tolleretur, provinciae decernerentur. Ipsi autem paratos se esse dixerunt concordiae et libertatis causa Italia cedere[3]), litterasque miserunt, ut consulares et praetorii Kalendis adessent. Haec omnia Regini Romae postquam acceperunt, exeunte mense Quinctili domum sunt profecti. Tum vero Antonius — incertum utrum paulo ante Kalendas an ipsis Kalendis post senatum habitum, id quod mihi probabilius videtur, quamquam iam pridie Nonas praetores Neapoli rescripserunt (ad fam. XI 3; Att. XVI 7, 1) — lacessitus nimia praetorum immodestia grave edictum constituit (Att. XVI 7, 7) litterasque minaces eis misit, ut Italia pelleret eos. Quibus in litteris de dilectibus habitis et pecuniis imperatis, de exercitibus sollicitatis et nuntiis trans mare missis male repressit iracundiam suam, quae tamen

---

[1]) Hoc edictum bis a Cicerone commemoratur Phil. I 8 et ad Att. XVI 7, 1.

[2]) Rem sic interpretandam esse iam Lange cognovit R. A. III 510.

[3]) Quod praetores in edicto aiunt: *fortasse ea re minaciter agis, ut iudicium nostrum metus videatur* (ad fam. XI 3, 3), revocandum est ad consilium Italia cedendi. Num vero illud *de suo iure decedere* simul ad probatam Syriam et Macedoniam ereptam referendum sit, vehementer dubito. Nam hanc rem iam mense Maio probatam fuisse a praetoribus arbitror, cum exspectaretur de novis provinciis decernendis.

agnoscitur a praetoribus, obiecit vero iis de morte Caesaris minasque addidit, quo celerius Italia fugerent.

Quo ex edicto ipso elucet, Antonium, si profecto antea id in animo habuerat, tum minime de frumentario negotio tollendo cogitasse, seu ante seu post senatum Kalendis habitum edictum proposuisse eum statuimus. Quamquam nonnulla concessisse ac provincias decernendas retinuisse eum puto, nec vero, quales pro Syria et Macedonia liberatores exspectaverant. Etenim praecipue voluit Antonius omnem eis reditum adimere, ne labefieret ipsius in urbe dominatio. Quare provincias praesertim tam exiguas ac longinquas in a. 711 concedere eis potuit vel quaestoribus additis, legatorum numero aucto;[1]) frumentariam curationem tollere non potuit.

Kalendis igitur Sextilibus[2]) senatus fuit in aede Concordiae[3]) ac decretae sunt praetoribus provinciae, Bruto Creta, Cassio Cyrenaica, simulque de restitutione Sex. Pompeii res fuisse videtur (cf. p. 27 seq.), quam et ipsam consul senatui concessit. Tamen, id quod maximum erat, effectum non est, etiamsi L. Piso vehementer in consulem invectus excessurum se ex Italia dixit, si rem publicam oppressisset Antonius (Phil. XII 14). Nam consul Galliam non remisit, senatusconsultum de frumenti curatione non est sublatum. Ait enim Cicero adfinxisse Reginos, quo facerent id, quod nuntiarent, laetius: *rem conventuram*[4]) ..... *Antonium remissis provinciis Galliis ad auctoritatem senatus esse rediturum* et paulo infra § 9: *turpe mihi ipsi videbatur in eam urbem me audere reverti, ex qua Brutus cederet, et ibi velle tuto esse, ubi ille non posset* et ibid.: *nihil* (sc. Brutus) *de suo casu, multa de vestro querebatur.*

Secutus est postridie senatus, a quo L. Piso afuit, cum intellexisset ab Antonio nihil impetrari (Att. XVI 7, 7). Prid. vero Non. liberatores Neapoli edicto consuli rescripserunt,[5]) quod Cicero a. d. XVI Kal. Sept. Veliae a Bruto acceptum

[1]) Zumpt (comm. epigr. II 242) quaestores additos, legatorum numerum auctum ad frumentariam legationem referre studuit. Quod mihi quidem valde displicet propter ipsius Ciceronis verba (Phil. II 31).

[2]) De Kal. Sext. totam rem esse docebitur in excursu de Cic. Phil. I 8—9, p. 41.

[3]) Eo senatus illo tempore convenire solebat. cf. Phil. V 18 seq. et saepius, Joseph. A. J. XIV 10, 10.

[4]) Hoc revocandum est tam ad frumentarium negotium tollendum decernendasque provincias quam ad remittendam Galliam cisalpinam.

[5]) cf. ad. Att. XVI 7, 7: *horum contra scriptum praeclare* sc. edictum. Exstat hoc edictum ad fam. XI 3.

legit. Quo in edicto indignationem prae se tulerunt de M. Antonii contumeliosis ac minacibus litteris edictoque et dixerunt, etsi minis non moverentur, tamen bello spreto ex Italia cedere sibi certum deliberatumque esse, 'ne qua oreretur belli civilis causa propter se' (Phil. X 8). Quod consilium statim post a. d. XVI Kal. Sept. effectum esse supra vidimus (cf. p. 23).

Quae hac dissertationis parte probata sint, cognoscas ex adiecta tabula chronologica, p. 46 seq.

Caput IV.

De restitutione Sex. Pompeii.

Praeter Brutum et Cassium maxime senatus interfuit Sex. Pompeium revocari, qui solus post pugnam Mundensem relictus ex Pompeii Magni filiis perrexerat in Hispania bellum gerere contra Caesaris legatos (Drumann IV 561). Quem dictatore interfecto a. 710 a senatu restitutum esse constat inter omnes, quo vero tempore, prorsus latet, cum ne unus quidem e scriptoribus quidquam de tempore nobis tradiderit; nec certo e fontibus effici potest. Liceat tamen pauca quaedam adferre, ut angustiore spatio tempus definiatur.

Ac proficiscendum est in hac re ab epistula ad Att. a. d. VI Id. Quinct. scripta (Att. XVI 4).[1]) Qua ex epistula cognoscimus venisse binas a Sex. Pompeio litteras, alteras ad consules, alteras ad Libonem missas. E quibus illae Ciceroni legebantur, ut, si quid videretur, iudicium faceret de iis, priusquam redderentur. Et Cicero quidem, postquam pauca addidit de genere dicendi reprehenditque, quod consulibus solis missae essent litterae, rem satis graviter et non contumaciter prolatam esse laudat.

Ad Libonem autem scripsit Pompeius: *nihil esse, nisi ad Larem suum liceret: summa postulatorum, ut omnes exercitus dimittantur, qui ubique sint.* Inde apparet, primum Pompeium tum revocatum non fuisse, deinde illo iam tempore rem tractari coeptam esse. Et hoc certe Lepido est tribuendum, qui et Dione (45, 10) et Cicerone testibus (Phil. III 23; V 39 et 41; XIII 8—12) perfecit, ut Pompeius ab armis discederet. Utrum vero Lepidus iam exiens ex urbe cum Sexto agere iussus sit, id quod Drumanno (IV 563) et Langeio (R. A. III 492 seq. et 516) visum est et per se facile fieri potuit, an postea per

[1]) Quo die scripta sit epistula, invenitur ex ep. ad Att. XVI 2, 3.

litteras a consule eiusmodi mandata acceperit, decerni non potest. Tamen hoc pro certo habendum est: si profecto iam Romae res convenerat inter Lepidum et Antonium de revocando Pompeio, occultum pactum fuit (cf. tamen Lange l. c.). Nam ante peractam rem ne Cicero quidem quicquam compertum habuit, qui usque ad VII Id. Apr. ipse in urbe fuit (cf. p. 6), postea vero ab amicis Romae versantibus et qui familiariter tum uterentur consulibus, certissimos de re publica nuntios accepit. Et profecto ab ineunte mense Aprili usque ad Nonas Quinctiles (Att. XIV 1—XVI 1) continenter nuntii de Pompeii in Hispania expeditionibus ad Ciceronem perveniunt, sed nusquam mentio fit de restitutione, nusquam de Lepido.

Quid autem fuerit in litteris ad consules scriptis, satis perspicuum videtur: publicae enim erant litterae easque in senatu a consulibus proferri oportebat, et agebatur certe de eadem re, quae erat in epistula privata ad Libonem missa. Quae cum ita sint, apertum est ante Idus Quinctiles restitutionem Pompeii non accidisse, cum a. d. VI Id. litterae eius Puteolis Ciceroni in manibus essent, unde quarto fere die tabellarii Romam pervenire potuerunt (cf. p. 2 n. 4).

Quaeramus nunc terminum, ante quem res facta sit. Et Cicero quidem, ubi primum hanc rem attingit (Phil. III 23 et 24), loquitur de supplicatione M. Lepido decreta a. d. IV Kal. Dec., quo die Antonius evasit in Galliam. Quae supplicatio quoniam fuit ob restitutum per Lepidum civitati Sex. Pompeium (Phil. V 39), necesse est iam ante a. d. IV. Kal. Dec. restitutionem senatusconsulto evenisse.

Quocum plane congruit, quod Dio satis dilucidis verbis nobis tradidit, Antonium ipsum senatusconsulto effecisse, ut Pompeius restitueretur: *ὁ Λέπιδος τῆς τε ὁμοχώρου Ἰβηρίας ἄρξων ἀφίκετο καὶ ἔπεισεν αὐτὸν* (sc. Pompeium) *ἐς ὁμολογίαν ἐλθεῖν ἐπὶ τῷ τὰ πατρῷα κομίσασθαι. Καὶ οὕτω καὶ ὁ Ἀντώνιος διά τε τὴν τοῦ Λεπίδου φιλίαν καὶ διὰ τὴν τοῦ Καίσαρος ἔχθραν ψηφισθῆναι ἐποίησε* (45, 10).[1]) Et hoc mihi ad definiendum tempus certissimum argumentum est visum, quia reliqua ad diiudicandam rem parum valent. Nam Antonius in urbe fuit ab a. d. XIV fere Kal. Jun. (cf. p. 3) usque ad Kal. Sept. (Phil. V 19), ab a. d. XIII Kal. Oct. (ibid.)

[1]) Quod hoc loco Antonii nomen solum commemoratur, inde colligendum non est absente Dolabella restitutionem factam esse. Nam Antonius auctoritate sua collegam aetate multo minorem omni modo superabat maximamque officiorum consularium partem ipse solus praestabat. cf. Phil. II 31 et saepius.

usque ad VII Id. Oct.,[1]) ab medio fere mense Novembri usque ad IV Kal. Dec.[2]) Ac perpaucis diebus, quibus mense Novembri Romae fuit Antonius, restitutionem Pompeii factam esse nec facile per se probatur, cum tantam rem adeo dilatam esse a consulibus paene incredibile sit, nec satis apte id rebus gestis respondet. Agebatur enim tum de D. Bruto pellendo, de legionibus adducendis, de Octaviano hoste iudicando (Phil. III 20). Unde elucet restitutionem accidisse post Id. Quinct., ante Nonas fere Octobres.

Quae quo tempore ponenda sit, si accuratius statuere volumus, per se manifestum est, eam Id. Quinct. propiorem fuisse quam Nonis Octobribus. Nullo enim modo potest probari consules neglectis publicis litteris rem longe distulisse neque statim occasione data ad senatum rettulisse. Proximus autem senatus, quantum accepimus, Kal. Sext. fuit. Ac profecto raro illo tempore patres convocati sunt, cum post a. d. IV Non. Sext. hoc mense senatum fuisse nusquam exstet apud Ciceronem et insequentem Kal. Sept. habitum esse credendum sit (cf. p. 22).

Ergo quoniam Quinctili mense post Idus senatus fuisse non videtur, mense vero Septembri, cuius vel maximam partem afuit Antonius ab urbe (Phil. V 19), primisque mensis Octobris diebus consul prorsus alienus fuit a senatu,[3]) liberatores autem iam Sextili mense (cf. p. 23) Italia cesserunt[4]) Pompeiique de restitutione litterae Id. fere Quinct. iam redditae sunt (cf. p. 28): restant Kalendae Sextiles et a. d. IV Non. Sext.

Cui respondet, quod Cicero afuisse videtur, cum de Pompeio in senatu ageretur. Dicit enim Phil. XIII 10: *decrevistis tantam pecuniam* et 12: *septiens miliens, quod adulescenti, patres conscripti, spopondistis.* Nam Cicero ipsa dic-

---

[1]) Hoc die consul ad excipiendas legiones Macedonicas Brundisium profectus est (fam. XII 23).

[2]) A. d. IV Kal. Dec. ab Antonio senatus in Capitolio est habitus (Phil. III 20). Num vero antea consul in urbe fuerit et quam diu, decerni non potest: a. d. VII Id. Nov. Casilini fuit et inde quam celerrime via Appia Romam contendere in animo habuisse videtur (Att. XVI 10, 1). Tamen aliter eum postea fecisse apparet ex ep. ad Att. XVI 13c, a. d. III Id. Nov. ex Arpinati data.

[3]) cf. ad fam. XII 3 et 23, ubi loquitur Cicero de statua Caesari in rostris posita (cf. p. 48) deque Octaviani conatu consulis necandi, de quo plenius egi in excursu p. 43.

[4]) Restitutionem Sex. Pompeii ante Bruti et Cassii ex Italia discessum evenisse docet Appianus III 3. cf. p. 31.

tione plerumque indicare solet, utrum interfuerit necne. Afuit tum, cum immunitates venibant populis universis: Phil. II 92: *inspectantibus vobis*, afuit Kal. Sept.: Phil. I 12: *vobis audientibus*. Interfuit dictaturae sublatae: *sententias diximus .... gratias egimus* (Phil. I 3). Quamquam Ciceronem non semper hac dicendi ratione usum esse colligitur ex Phil. V 28 et X 23. Tamen si frequentiorem eius usum sequi volumus, quoniam is totis mensibus Quinctili et Sextili Roma afuit, restitutio Pompeii Kal. Sext. vel postridie ponenda est. Quocum convenit, quod Dio (45,9) rem ita exposuit, ut appareat eam eodem fere tempore evenisse quo legem agrariam L. Antonii, legem tribuniciam de provinciis consularibus legemque de permutatione provinciarum. Quas leges mense Junio latas esse vidimus supra (cf. p. 9 seq. et 16).

Et si Appianum quoque commemorare volumus (III 4), qui tempora quidem valde permiscuit, rem vero recte explicavit, statuendum est ante mensem Septembrem Pompeium revocatum esse. Is enim dicit Ciceronem ob restitutum Pompeium Antonium collaudasse, quod absentem eum fecisse credi potest, orationibus vero Philippicis haberi coeptis non potest.

Quamobrem Kalendas Sextiles retinendas esse puto, cum eo die restitutionem factam esse maximam habeat probabilitatem. Quamquam non satis perspicitur, cur tanto temporis spatio praetermisso M. Lepido supplicatio decreta sit.

At decernuntur eiusmodi quaestiones non dubiis saepe scriptorum narrationibus, sed rationibus rerum gestarum. Et qui ad rationes omnia revocare studet, ei fortasse extremi mensis Novembris dies idoneum tempus esse videbuntur, quia tum acerbissimo erga Caesarem iuniorem odio fuit Antonius (Phil. III 20), Lepido vero senatusconsulto supplicationem effecit (ibid. 24), quae plane Dionis verbis (cf. p. 28) respondere videntur. Sed cognovimus iam (cf. p. 29) alia tum consulem et maiora tractasse perpaucosque dies in urbe fuisse neque ipsum quidem a. d. VIII Kal. Dec. in senatum venisse, sed rem distulisse in a. d. IV Kal.

Restant igitur nobis solae Kalendae Sextiles, quibus sane commodius tempus non invenitur. Nam toto mense Junio veteranis 'agmine quadrato' Romam coactis, ut adessent, qui suffragium ferrent, Antonius omnia, quae voluit, comitiis centuriatis per populum egit: legem tribuniciam de provinciis consularibus, legem agrariam L. Antonii, legem de permutatione provinciarum. Exeunte autem mense Quinctili Octavianus ludis Caesaris victoriae datis magnam sibi apud populum et veteranos

auctoritatem paraverat. Quare facile fieri potuit, ut Antonius ad compescendos iuvenis impetus (Dio 45,10: *διὰ τὴν τοῦ Καίσαρος ἔχθραν*) ad senatum rediret (cf. p. 24) eique exoptatam Sex. Pompeii restitutionem concederet.

Et sane post tale senatusconsultum Brutus et Cassius ad spem erigi potuerunt fore, ut Antonius cederet, ipsi Romam redirent (Att. XVI 7,1). Quae spes secundum Appiani quoque testimonium restitutionem Sex. Pompeii secuta est: *ὅ τε Κάσσιος καὶ ὁ Βροῦτος . . . . . τὴν σωτηρίαν ἐδόκουν ἕξειν ἀσφαλῆ καὶ τὴν γνώμην ὧν ἐπεπράχεσαν ἐγκρατῆ, καὶ τὴν δημοκρατίαν ἐς τέλος ἐπάξεσθαι, τῆς μοίρας σφῶν ἀνισχούσης* (III 4). Quae profecto mense Novembri praetores iam pridem Italia egressi sperare non potuerunt.

Quae cum ita sint, Kal. Sext. Pompeium a senatu revocatum esse resque familiares ei restitutas, mihi quidem verisimillimum videtur. Quamquam fateor, si quis restitutionem mense Novembri factam esse dicat[1]), eum refelli minime posse, necesse vero eum esse probare, cur allatis iam initio mensis Quinctilis Pompeii de restitutione litteris, quibus satis dilucide docuerit, qua condicione res conveniret, post tot menses a consulibus res in senatu prolata sit. Senatusconsultum autem de revocando Pompeio iam mense Aprili factum esse, id quod Vogeler l. c. p. 43 statuit, nullo modo credi potest.

---

[1]) Lange, R. A. III 517 n. 2, pactum, quod inter Lepidum et Antonium convenerat, simul cum supplicatione Lepido decreta a. d. IV Kal. Dec. senatusconsulto comprobatum esse censet. Sed praeterquam quod Cicero, ubi plenius de rebus illo die in senatu actis narravit, Phil. III 19 seq., de Pompeii restitutione nullam fecit mentionem: tum de hac re decretum esse per se nullo modo probari potest, cum de ipsius Lepidi supplicatione senatusconsultum per discessionem factum sit.

Excursus I (ad pag. 5).

De epistulis extremo mense Maio et a Cicerone et ad Ciceronem scriptis.

Frequentissime scriptae et celerrime, ut in rebus angustis, perlatae sunt extremo mense Maio epistulae. E quibus cum et praecipue inveniantur, quae illo tempore in re publica gesta sint, et plane cognoscatur, quam diligenter tum Cicero omnia per litteras cum amicis communicaverit, haud alienum esse arbitror earum tempus et ordinem certis terminis circumscribere.

Ac proficiscendum est ab epistula ad Att. XV 3. Cuius de initio codices dissentiunt. Mediceus enim praebet: *Undecimo Kal. accepi duas epistulas tuas, quibus duabus meis respondisti*; Turnesianus testibus Lambino et Bosio: *Undecimo Kal. accepi (nati) duas* . . . . . idemque legitur in iis codicibus, quos nuperrime Lehmann contulit[1]). Apertum est in depravato illo *nati* latere significationem loci, quo epistula accepta sit. Itaque Bosius ex codicibus Turnesiano et Crusellino[2]), in quo erat *accepi (nati nati)*, emendavit *accepi in Atinati*. Bosiumque secuti sunt Orelli et Baiter (Cic. op. III 713), etiamsi Baiter postea in editione sua (Cic. op. ed. Baiter et Kayser X p. 388) epistulam in Arpinati datam esse adscripsit[3]). Lambinus contra ex *accepi nati* rectissime effecit *accepi in Arpinati*. Quam coniecturam et Ruete p. 21 ex Ciceronis epistulis inter se collatis et Lehmann p. 9 ex codicibus probaverunt. Liceat tamen certioribus argumentis demonstrare epistulam non datam esse posse nisi in Arpinati.

Etenim si epistulas a Cicerone et Attico illo tempore scriptas diligentius inspicere velis, plane cognoscas, a. d. XV Kal. Jun. (Att. XV 3, 1) Atticum rescripsisse ad Ciceronis epistulam prid. Id. Mai. datam (Att. XIV 22), qua Atticus iubetur posteriores epistulas Arpinum mittere.

Nam a. d. V Id. Mai. Cicero 'apposita mensa secunda apud Vestorium' in Puteolano epistulam ad Atticum dedit (Att. XIV 21). Responsum autem a. d. XV Kal. Jun. in Vescino tulit (Att. XV 2), ita ut Id. Mai. Ciceronis epistula reddita, Attici data esse videatur (cf. p. 36 n. 1 et 2):

---

[1]) De Cic. ad Att. ep., Berol. 1892, p. 9 et aliis locis.

[2]) Is codex numquam fuit teste Lehmanno l. c. p. 108.

[3]) Bosii coniectura difficultas, quae est de die (cf. p. 34 seq.), nihilo magis tollitur, quam si in Arpinati epistulam datam esse statuimus. Quamobrem Wesenberg et post eum Boot epistulam in Antiati scriptam esse censuerunt. De hac re cf. p. 34.

Att. XVI 21:	Att. XV 2:
§ 2. Ad me ..... statim Balbus .... questus est etiam de sua invidia	§ 3. Balbum levari invidia per nos velim.
§ 3. Tu mea curabis, ut curas	§ 1. — sic enim decet te mea curare, tua me —
§ 4. Exspecto Octavii concionem et si quid aliud	§ 3. De Octavii concione idem sentio quod tu e. q. s.

Proximae Attici epistulae duae Ciceroni a. d. XI Kal. Jun. redditae sunt. Quibus cum Atticus duabus Ciceronis responderit (Att. XV 3, 1), vel inde probari potest, has epistulas rescriptas esse ad ep. ad Att. XIV 22 et XV 1a; praesertim cum respicimus priorem Ciceronis epistulam Idibus demum Maiis missam esse Puteolisque tertio quartove fere die tabellarios in urbem pervenisse (Bardt, quaest. Tull. p. 43; Ruete p. 121 seq.).

Sed licet rem manifestius ostendere, si epistulas inter se componimus:

Att. XIV 22:	Att. XV 3, 1:
§ 1. Scire te volui me hinc Arpinum XVI Kal. Jun.: eo igitur mittes, si quid erit posthac, quamquam ipse iam iamque adero; cupio enim, antequam Romam venio, odorari diligentius, quid futurum sit	§ 1. Accurres in Tusculanum, ut scribis, quo me VI Kal. venturum arbitrabar.
	erit igitur nobis coram odorandum et constituendum, tutine Romae esse possimus.
§ 2. moneor a multis ne in senatu Kalendis; si tu melius quidpiam speras (antecedunt graves Ciceronis de malo rerum statu querimoniae), ... scribas ad me velim	Quod scribis parendum victoribus, non mihi quidem ....
Att. XV 1a:	Att. XV 3, 2:
§ 1. O factum male de Alexione	Cognovi de Alexione, quae desiderabam.
§ 2. Hirtius erat apud me	Hirtius est tuus.
§ 3. perspexi ... omnem eius sensum; seduxi enim et ad pacem sum cohortatus	
§ 4. De Q. filio tibi assentior; patri quidem certe gratissimae bellae tuae litterae fuerunt.	De Q. filio, ut scribis, ... de patre coram agemus.

§ 5. Quod Brutus rogat, ut ante Kalendas (sc. eum conveniam), ad me quoque scripsit, et fortasse faciam; sed plane, quid velit, nescio; quid enim illi afferre consilii possum, cum ipse egeam consilio? Brutum omni re, qua possum, cupio iuvare,

Quod Atticus de Flamma (Att. XV 1a, 5: *de Flamma, obsecro te, si quid potes.)* nihil rescripsit, ea re intelligitur, quod iam priore epistula (Att. XV 2,4) eius mentionem fecerat sua sponte. Idemque statuendum est de oratione Bruti ab Attico commemorata (Att. XV 3,2), de qua Atticus iudicat non rogatus a Cicerone, cum epistulam ad Att. XV 1b nondum acceperit.

A. d. XV Kal. Jun. mane e Sinuessano proficiscens Arpinum Cicero ad Atticum epistulam misit (Att. XV 1b). Cui rescripsit Atticus a. d. XI Kal. (Att. XV 4, 3—4). Agitur in utraque epistula imprimis de oratione in concione Capitolina habita, quam Brutus Ciceroni corrigendam miserat. Qua de oratione Atticus iam priore epistula scripserat petieratque, ut Cicero eam scriberet pro Bruto; id quod Cicero contumeliose et timide recusavit utroque loco (Att. XV 3,2 et 4,3), quia tempus non sit maturum.

A. d. XV Kal. in Vescino Cicero alteram ad Atticum epistulam dedit (Att. XV 2), ad quam ille a. d. X Kal. rescripsit (Att. XV 4, 1—2).

Insequentes autem litteras a. d. XI Kal. scripsit, ut iam vidimus, in Arpinati. Quae litterae Attico postridie, cum epistulam daret ad Ciceronem, nondum in manibus fuerunt (Att. XV 4,2). Unde fit apertum locum eum, quo datae sint litterae, plus quam unius diei iter Roma afuisse. Quod quidem in Arpinas apte quadrare videtur (Bardt, quaest. Tull. p. 43), in Antias non item (cf. p. 32 n. 3). Antium enim, quod oppidum abest ab urbe 35 M. P., tabellarios intra diem[1]) vel, si tardissime, biduo pervenisse elucet ex ep. ad. Att. XII 37, 1 etXV 17,1[2]). Ciceronis autem epistula altero die nondum reddita est.

Quaeritur tum, quo loco et quo die ep. ad Att. XV 4[3])

[1]) Prorsus prave Boot, ep. ad Att. p. 659, negat tabellarium intra diem Antium pervenire potuisse.

[2]) Ruete p. 24 hanc epistulam Asturae scriptam esse censet. Qua re ratio non refellitur, quoniam Astura longius abest ab urbe quam Antium.

[3]) Initio huius epistulae cum Buechelero, Mus. Rhen. XI p. 531, legendum puto: H. X. *fere.*

data sit. Respondet haec epistula duabus Attici a. d. XI et X Kal. Jun. Romae scriptis, quae secundum codicum auctoritatem a. d. X Kal. Ciceroni redditae sunt. Nec vero potuit epistula mane Romae data eodem die seu VIII seu X hora in Arpinati reddi[1]), cum Arpinum circiter 85 M. P. absit ab urbe. Quamobrem Bardt et Wesenberg epistulam alio ac superiorem loco, in Antiati, scriptam esse censuerunt, Ruete (p. 21) et post eum Boot (p. 659) initio epistulae IX K. pro X K. legendum putaverunt. Sed in Antiati epistula scripta esse non potest. Neque enim Ciceronem, qui haud dubie a. d. XI Kal. in Arpinati fuit, postridie in Antiati fuisse verisimile est, nec facile probatur Brutum Lanuvii versantem per Atticum cum Cicerone acturum fuisse, si profecto is tum in Antiati fuisset (Att. XV 4,2).

Ruete autem sic ratiocinatur: epistula ad Att. XV 3 in Arpinati scripta est. De mutato deversorio in proxima nulla fit mentio. Ergo haec quoque in Arpinati data est. Quod si conceditur, sane diei numerus corrigendus est. Sed illud prius argumentum levioris momenti est. Nulla enim re impedimur, ne quintam quoque huius libri epistulam in Arpinati scriptam esse putemus. Cogimur ergo aut diei numerum mutare, si epistula in Arpinati data est, aut statuere Ciceronem via Latina, qua ex Arpinati tritum et ad urbem et in Tusculanum iter erat, tantopere iam progressum esse, ut litteras mane Romae datas eodem die accipere posset.

Et quamquam diiudicari non potest, utrum verius sit, tamen equidem malo numerum diei emendare, sed aliis de causis ac Ruete. Primum enim Atticum Arpinum epistulas misisse inde fit apertum, quod extremam Ciceronis nondum acceperat (cf. p. 34). Deinde Ciceronem, qui a. d. VI Kal. in Tusculanum venturum se esse arbitrabatur (Att. XV 3,1), iam a. d. X Kal. in itinere fuisse[2]) eo minus probatur, cum in hac ipsa epistula, de qua agitur, idem Attiço iterum scripserit (Att. XV 4,2).

Videtur ergo epistula a. d. IX Kal. Jun. scripta esse. Atque eodem die potest epistula illa brevis data esse, quae errore librarii quartae adiecta recte a Mongaltio separata est (Att. XV 4,5).

Epistulam autem ad. Att. XV 5 a. d. VI Kal. in Tusculano scriptam esse Ruete mihi probavit (p. 22 seq.)[3]), etiamsi

[1]) cf. tamen p. 32.

[2]) Ex Arpinati Cicero satis commode bidui itinere in Tusculanum pervenire potuit (77 M. P.). Nam a. d. XV Kal. Jun. Puteolis mane profectus, quamquam Cumis funeri operam dedit, tamen eodem die in Sinuessanum advenit (31 M. P.). cf. Att. XV 1b.

[3]) Wesenberg, Cic. ep. II p. 550, epistulam in Antiati, Baiter l. c. in Atinati scriptam esse censuit.

non in omnibus singulis rebus ei adsentior (cf. p. 37 n. 11). Unum argumentum liceat addere, quod Ruete neglexit.

Epistula quinta compluribus diebus post quartam scripta est, cum iam a Bruto tabellarius redierit, Cicero ad Hirtium scripserit, Hirtius responderit, Atticus ad quartam rescripserit: Att. XV 4,5: *tuas igitur exspecto, nec actorum solum, sed etiam futurorum*; ibid. 5,2: *Ut tu de provincia Bruti et Cassii per senatusconsultum, ita scribit et Balbus* . . . 5,3: *Quodsi, ut scribis, L. Antonius in D. Brutum, reliqui in*

			epistula	data
1.	Att.	XIV 21	Ciceronis ad Atticum	V Id. Mai.
2.	„	XV 1a, 2—3	Attici ad Ciceronem	pr. „ „
3.	„	„ 1a, 5	Bruti ad „	„ „ „
4.	„	XIV 22	Ciceronis ad Atticum	„ „ „
5.	„	XV 2, 1	Attici ad Ciceronem	„ „
6.	„	„ 1a,	Ciceronis ad Atticum	XVI Kal. Jun.
7.	„	„ 1b	„ ad „	XV „ „
8.	„	„ 2	„ ad „	XV „ „
9.	„	„ 3, 1	Attici ad Ciceronem	XV „ „
10.	„	„ 3, 2	„ ad „	XII „ „
11.	„	„ 3	Ciceronis ad Atticum	XI „ „
12.	„	„ 4, 2	Bruti ad „	XI „ „
13.	„	„ 4, 1	Attici ad Ciceronem	XI „ „
14.	„	„ 4, 1	„ ad „	X „ „
15.	„	„ 4, 1	Fufii ad „	X „ „
16.	„	„ 4, 5	L. Caesaris ad „	X „ „
17.	„	„ 4, 1	Ciceronis ad Fufium	IX „ „
18.	„	„ 4, 1—4	„ ad Atticum	IX „ „
19.	„	„ 4, 5	„ ad Brutum	IX „ „
20.	„	„ 4, 5	„ ad Dolabellam	IX „ „
21.	„	„ 4, 5	„ ad Atticum	IX „ „
22.	„	„ 5, 1	Bruti ad Ciceronem	VIII „ „
23.	„	„ 5, 1	Cassii ad „	VIII „ „
24.	„	„ 5, 1; 6, 1	Ciceronis ad Hirtium	VII „ „
25.	„	„ 6, 2—3	Hirtii ad Ciceronem	VII „ „
26.	„	„ 6, 4	Ciceronis ad Hirtium	VI „ „

[1]) Ubi nihil adnotatum est in tabula, dies indicatur Ciceronis epistulis. Posuimus epistulas redditas esse eo die, quo rescribitur, iisque rescriptum esse medio tempore inter datam epistulam responsumque latum.

[2]) cf. p. 32. Vesperi quoniam missa est epistula, quinto eam die redditam esse posuimus, responsum (N. 5) quarto latum.

[3]) cf. p. 32 seq.

[4]) Missa est Idibus. cf. p. 33.

[5]) cf. Att. XV 3.

nostros. Atticus igitur epistulas ab eo a. d. XI et IX Kal. datas iam acceperat, cum recentes ad Ciceronem litteras daret. In his vero epistulis Cicero se in Tusculanum venturum esse ibique Atticum quam primum videre velle scripserat. Itaque perfacile probatur post acceptas priores Ciceronis litteras (Att. XV 3) epistulas ab Attico datas in Tusculanum missas esse.

Atque ut epistularum ordo planius perspiciatur, sequitur haec tabula[1]):

		redditur			
in Puteolano vesperi		Id. Mai.		Romae[2])	
Romae[3])	XVII	Kal.	Jun.	in Puteolano	
Lanuvii	XVII	„	„	„	
in Puteolano[4])	XV	„	„	Romae	
Romae	XV	„	„	in Vescino	
exiens e Puteolano	XII	„	„	Romae[5])	
e Sinuessano proficiscens	XI	„	„	„ [6])	
in Vescino	X	„	„	„ [7])	
Romae	XI	„	„	in Arpinati	
„	XI	„	„	„	
in Arpinati	X	„	„	Romae[8])	
Lanuvii	X	„	„	Romae	
Romae	IX	„	„	in Arpinati[9])	
„	IX	„	„	„ [9])	
„	IX	„	„	„ [9])	
Ariciae	IX	„	„	„ [10])	
in Arpinati	VIII	„	„	Romae	
„	VIII	„	„	„	
„ [10])	VIII	„	„	Lanuvii	
„ [10])	VIII	„	„	Romae	
„ [10])	VIII	„	„	„	
Lanuvii	VII	„	„	? [11])	
„	VII	„	„	? [11])	
? [11])	VII	„	„	Romae	
exiens in Tusculanum	VI	„	„	? [11])	
? [11])	VI	„	„	in Tusculano	

[6]) cf. p. 34.
[7]) cf. p. 34.
[8]) Epistula a. d. X Kal. reddita esse potest, sed post datam illam, quam eodem die Atticus ad Ciceronem scripsit. cf. p. 34.
[9]) cf. p. 34 seq.
[10]) cf. p. 35.
[11]) Ruete p. 22 putare videtur, has epistulas in Arpinati redditas esse. Quod si ita accidisset, fieri non potuit, ut Cicero a. d. VI Kal.

27.	Att.	XV	5, 2	Attici ad Ciceronem	VI	Kal.	Jun.
28.	„	„	5, 2	Balbi ad „	VI	„	„
29.	„	„	5, 3	Varronis ad „	VI	„	„
30.	„	„	5	Ciceronis ad Atticum	VI	„	„
31.	„	„	6, 4	Balbi ad Ciceronem	V	„	„
32.	„	„	6	Ciceronis ad Atticum	V	„	„
33.	„	„	7	Attici ad Ciceronem	V	„	„
34.	„	„	7	Ciceronis ad Atticum	V	„	„
35.	„	„	8, 1	Balbi ad Ciceronem	IV	„	„
36.	„	„	8, 1	Hirtii ad „	IV	„	„
37.	„	„	8, 1	Balbi ad „	III	„	„
38.	„	„	8, 1	Hirtii ad „	III	„	„
39.	„	„	8	Ciceronis ad Atticum	prid.	„	„

In priore ad Hirtium epistula (N. 24) videtur Cicero consulem designatum certiorem fecisse venturum se a. d. VI Kal. in Tusculanum, qua re cognita Hirtius eodem se conferre statuit exiensque ex urbe rescripsit.

In Tusculanum Cicero a. d. VI Kal. Jun. advenit (Att. XV 4,2; 3,1) ibique Attici et Balbi epistulas (N. 27 et 28) invenit, quibus antea scripserat, se eo die in Tusculano adfuturum esse.

A. d. IV Kal. Jun. Atticus Tusculanum accurrisse Ciceronemque ad visendum Brutum Lanuvium secutus esse videtur (Att. XV 3,1; 4,2 et 5; 5,3; 8,1; 20,2). Inde pridie Kal. reverso Ciceroni in Tusculano binae a Balbo 'itemque ab Hirtio' litterae redditae sunt (N. 35—38).

Excursus II (ad pag. 5).

De Cic. ep. ad Att. XIV 9—12.

Epistulae ad Att. XIV 9—12 maximas viris doctis praebuerunt difficultates. Tamen earum et ordinem et tempus certissimis terminis definiri posse confido.

in Tusculano adesset. Quo autem tempore Cicero adventurum se esse antea scripserat, eo tempore advenire solitus est. cf. Att. XIV 18,4 et 20,1; XIV 22,1 et XV 1b,1; XV 26,3 et 28 et XVI 1,1. Potius igitur crediderim tabellarium Ciceroni a. d. VII Kal. mane occurrisse in itinere loco quodam, unde intra diem epistula Romam pervenire potuit. Nam Ciceronem a. d. VIII ex Arpinati profectum esse perfacile probatur. cf. p. 35 n. 2.

Romae	VI	Kal.	Jun.	in Tusculano
„	VI	„	„	„
„	VI	„	„	„
in Tusculano	VI	„	„	Romae
Romae	V	„	„	in Tusculano
in Tusculano	V	„	„	Romae
Romae	V	„	„	in Tusculano
in Tusculano	V	„	„	Romae
Romae	IV	„	„	in Tusculano
„	IV	„	„	„
„	III	„	„	„
„	III	„	„	„
in Tusculano	prid.	„	„	Romae

Ac proficiscendum est ab epistula ad Att. XIV 9. Quam editores a. d. XV Kal. Mai. scriptam esse censuerunt, Lange autem (R. A. III 495 n. 6) post decimam ponendam esse putavit, Schmidt (de epistulis et a Cassio et ad Cassium datis, p. 6 seq.) inter quartam decimam et tertiam decimam inserendam esse proposuit. Ac Schmidt quidem ea de causa, quod intra duodecim dies certus de Caesaris caede nuntius in Galliam septentrionalem (Drumann III 71) pervenire legatique Germanorum mandata Aurelio nuntiare non potuissent.

Sed ipse Schmidt postea (Jahrb. p. 703 n. 5) errasse se intellexit codicumque auctoritatem restituit. Tamen non omnia protulit, quae ad probandam sententiam proferri possunt. Neque enim ullam omnino epistulam inter tertiam decimam et quartam decimam interponi posse, nonam vero in codicibus suo loco positam esse hisce de causis luce fit clarius:

1. ep. 14, 6 verba *tibi dederam superiore epistola cogitandum* collata cum ep. 13, 4 *suscipe nunc meam deliberationem, qua sollicitor . . . . . tota igitur de hac re — ut soles, si quid ad me pertinere putas — cogitabis* satis certo demonstrant inter has duas epistulas nullam inserendam esse.

2. ep. 11, 2 *ruina rem non fecit deteriorem* haud dubie revocandum est ad ep. 9,1 *tabernae mihi duae corruerunt* (Ruete p. 19).

3. ep. 9, 3 'nuntiatur, Balbum esse in illis regionibus, in decima ita verba de eo fiunt, ut appareat, Atticum iam ex priore epistula scivisse Balbum esse cum Cicerone' (Bardt, quaest. Tull. p. 16). Et quod de Balbo, idem de Hirtio et Pansa potest dici.

4. ep. 9, 2 verbis *hic turba magna est — eritque, ut audio, maior* adventum Octaviani indicari ex insequentibus epistulis mihi quidem satis firmum videtur.

Quamobrem retento codicum ordine epistulam, de qua agitur, ante decimam collocandam puto. Sed quaeritur, quo die data sit. Ac duodecima scripta est a. d. X Kal., undecimam eodem die datam non esse cognoscitur ex extremis utriusque epistulae verbis inter se comparatis: ep. 11: *Lentulus Spinther hodie apud me; cras mane vadit,* ep. 12: *haec conscripsi accubans apud Vestorium.*

Ergo quoniam ep. 11 tertio post decimam die scripta est, decima vero ante a. d. XIII Kal. scripta esse non potest: datae sunt hae tres epistulae a. d. XIII, XI, X Kal. Mai.

Nonam autem epistulam decimae propiorem esse quam octavae, a. d. XVII Kal. datae, ex ipsius Ciceronis verbis manifestum est: *Balbus hic est multumque mecum* (§ 3). Qua re Rueteio (p. 19) concesserim eam a. d. XIV Kal. Mai. scriptam esse. Inde si desumuntur unus et viginti dies, litterae ad Balbum missae a. d. IV Kal. Apr. datae sunt.[1]) Restant igitur quattuordecim dies, non duodecim, ut Schmidt voluit (de ep. sqq. p. 7), intra quos, si illud XXI recte traditum est, sane nuntium de caede in Germaniam penetrasse legatosque ad Aurelium venisse credendum est.

Excursus III (ad pag. 6).
De Ciceronis legatione.

Ciceroni a. 710, quia Italia decedere volebat, cum esset senator, legatione opus fuit (Plut. Cic. 43; Att. XIV 13, 4). Quamobrem iam a. d. IX fere Kal. Jun. (Att. XV 4, 5. cf. p. 36 N. 20) de hac re ad Dolabellam consulem scripsit ac pridie Kal. etiam ad Antonium (Att. XV 8). Sed falso hanc legationem liberam fuisse O. E. Schmidt putavit (Jahrb. p. 709). Liberae enim legationes a senatu dantur nec legatum cuiquam attribuunt. Liberamque legationem Ciceronem non obisse, Schmidt si non aliunde, ex ipsius Ciceronis verbis intelligere potuit: *Dolabella me sibi legavit ..... votiva ne tibi quidem placebat* — Cicero enim primum de votiva legatione cogitarat (Att. XIV 22, 2; XV 8, 1); est autem votiva e genere liberarum legationum — *et habent, opinor, liberae legationes*

[1]) More Romano utor primi et extremi diei adnumerandi. Schmidt in utraque re nostram rationem secutus biduum omisit.

definitum tempus lege Julia, nec facile addi potest. Aveo genus legationis, ut, cum velis, introire, exire liceat, quod nunc mihi additum est; bella est autem huius iuris quinquennii licentia. cf. Cic. de leg. III 18; Mommsen St. R. II^3 1 p. 690 seq.

Quae autem apud Ciceronem Phil. I 6 de iure legationis libero leguntur, quae Schmidtio causam errandi fuisse existimo, mea quidem sententia revocanda sunt ad ius additum Ciceroni, quo ei licuit, cum vellet, introire, exire. Nam Drumanni opinio (I 156), Ciceronem re male enarrata patres decipere voluisse, haudquaquam probabilis est.

Excursus IV (ad pag. 26).

De Cic. Phil. I 8—9.

Phil. I 8 Cicero narrat a. d. VII Id. Sext. (cf. p. 23), cum apud P. Valerium in agro Regino versaretur, venisse ad se complures municipes Reginos, ex iis quosdam 'Roma recentes', qui laetos de re publica nuntios attulissent. *Addebant*, inquit, *praeterea rem conventuram; Kalendis Sextilibus senatum frequentem fore; Antonium repudiatis malis suasoribus, remissis provinciis Galliis ad auctoritatem senatus esse redituram.* Sic enim legitur in codice Vaticano, quem emendandarum orationum Philippicarum optimum praebere praesidium constat inter omnes viros doctos.

Quo magis miror, cur Madvig, opusc. acad. ed. II p. 132, qui pluribus quam superiores locis hoc codice se usum esse ipse fatetur (l. c.), hoc loco Vaticanum plane reiecerit atque illud *Sextilibus* eiciendum censuerit.

Rationes autem, quibus utitur, hae sunt: primum enim ait, 'haec omnia, si orationis formam et usum futuri temporis spectemus, ita dici, ut de re futura narrasse illi homines necessario intelligantur.' Deinde verba, quae insequuntur apud Ciceronem: *non quo me ad tempus occursurum non putarem, sed ne tardius, quam cuperem, rei publicae gratularer* nullum omnino sensum habere dicit 'non praecedente temporis mentione, ad quod occurrendum esset.' Patere igitur, 'non Kalendas Sextiles in illorum hominum sermone commemoratas fuisse, sed talem diem, ad quem Cicero Romae esse posset. Idque ita fieri apertum, ut nihil dubitationis relinquatur, ex epistula ad Att. XVI 7, a. d. XIV Kal. Sept. data. Ibi enim (§ 1) non addito mensis nomine satis perspicuum esse significari Kalendas instantes, id est Septembres.'

Et post Madvigium omnes[1]) paene editores illud *Sextilibus* deleverunt. cf. Cic. ed. Mueller II 3 adn. crit. p. CI. Quos secutus Lange R. A. III 506 et 509/10 senatum, de quo agatur, Kalendis Septembribus habitum esse statuit.

Tamen aliter res se habet. Nam de Kalendis Sextilibus totam rem esse et Drumann, I 143, iam recte perspexit et ex iis plane cognoscitur, quae supra (p. 23 seq.) dixi de tribus Ciceronis locis ad idem fere tempus circa Kal. Sext. spectantibus:

Primum enim Regini ante Kalendas Sextiles haud dubie Roma profecti sunt (cf. p. 23). Quae igitur Romae acceperant de senatu Kalendis futuro, revocanda sunt ad Kalendas proximas, id est Sextiles.[2]) Oratio enim accommodata est ad tempus, quo Regini Roma discesserant. Verba autem illa, quae de adventu fiunt Phil. I 9: *non quo me ad tempus occursurum non putarem*, revocanda sunt non ad *Kalendis Sextilibus*, sed ad gratulandum rei publicae.

Deinde post ludos Caesaris facile fieri potuit, ut Antonius senatui ac liberatoribus nonnulla concederet (cf. p. 24).

Tum et Phil. I 8 seq. et Att. XVI 7,5 legimus Brutum a. d. XVI. Kal. Sept. prope Veliam apud Heletem fluvium fuisse cum navibus[3]) Ciceronique statim adventanti occurrisse[4]) adeo deiectum omni spe, ut ei iam constaret Italia cedere (Phil. X 8: *Eundem vidi postea cedentem Italia).* Apertum igitur est magnum malum antea Bruto accidisse. Quo autem die id acciderit, plane intelligitur ex Ciceronis verbis Phil. I 9: . . . *nihil de suo casu, multa de vestro querebatur. Exque eo primum cognovi, quae Kalendis Sextilibus in senatu fuisset L. Pisonis oratio*; Att. XVI 7,5: . . . *maxime autem dolebat me* (id est Ciceronem) *Kal. Sext. in senatu non fuisse*; *Pisonem ferebat in caelum.* . . .

Postremum, ut ne hoc quidem omittam, etiamsi levioris est momenti, a Bruto et Cassio litterae missae sunt ‘ad consulares et praetorios, ut adessent rogare’ in senatu Kalendis. Cur autem,

---

[1]) Solus Hirschfelder, Zeitschrift f. d. G. W. 1871 p. 40, vestigia litterarum in codice Vaticano traditarum (*K. sex.*) secutus *Kalendis proximis* scribendum esse proposuit.

[2]) cf. Vogeler, l. c. p. 25, qui tamen fatetur nescire se, quae Kal. Sext. decreta sint.

[3]) Inde colligitur frumentarium negotium tum viguisse, Brutum autem discedere in animo habuisse. cf. p. 18 et 24.

[4]) Ciceronem Brutus convenisse videtur, ut deliberaret cum eo, priusquam proficisceretur.

si de Kalendis Septembribus res erat, Ciceroni non scripserunt, quem in senatu adesse Bruti maxime intererat?

Quae cum ita sint, ex rebus gestis, a quibus omnino proficiscendum est in hac re iudicanda, et Phil. I 8 et Att. XVI 7, 1 solas Kalendas Sextiles, quae vetustissimi et optimi codicis Vaticani lectio est, significari posse elucet.

Excursus V (ad. pag. 29).

De Octaviani conatu Antonii necandi.

Paucis diebus ante, quam Antonius ad excipiendas legiones Macedonicas Brundisium profectus esset (a. d. VII. Id. Oct.; cf. p. 29 n. 1), Octavianum in consulem impetum fecisse tradiderunt Suet. Aug. 10 et Seneca de clem. I 9, 1. Nicolaus vero Damascenus (c. 30), Velleius (II 60), Appianus (III 39) rem in suspicionem vocaverunt, Ciceroque, quo loco solo de hoc conatu verba fecit (ad fam. XII 23), in medio eam reliquit. Nam ita scriptores de hac re iudicasse crediderim ex iis, quae memoriae prodita sunt.

Itaque suo iure viri docti abiectis posteriorum testimoniis crimen fictum esse statuerunt: Drumann I 202, cui vel ignotus fuit Nicolaus, et post eum Lange R. A. III 512. Tamen nuperrime Gardthausen (Aug. u. s. Zeit I 55, II 25 n. 27) iterum rem probare conatus est, ita ut necesse videatur eam denuo perscrutari.

Nam Appianum crimen ut fictum reiecisse suamque sententiam rationibus probasse inter omnes constat, excepto uno Gardthauseno. Neque aliter censuit Nicolaus, qui et plenius rem perscripsit et certum diem addidit (a. d. III vel prid. Non. Oct.). Ciceronis autem verbis satis demonstratur, statim post facinus divulgatum suspicionem de ficto ab Antonio crimine exstitisse, nec consulem rem proferre ausum esse; dicitque orator non credere se factum, sed credi posse, cum nihil sit, 'quod non existimetur laudis et gloriae causa facturus' Octavianus.

Inde vero, quod ait *prudentes autem et boni viri et credunt factum et probant* sequitur nihil aliud nisi ut fuerint tum in re publica, qui Antonium et Octavianum omni modo seiungendos esse existimarent (Att. XV, 12, 2; Nic. 28: ἦσαν δ' οἱ ἐν μέσῳ τὴν ἔχθραν ἀνάπτοντες αὐτῶν), qui tali rumori eo facilius confiderent, quo libentius probarent.

Tabula chronologica

de rebus inde a Caesare occiso usque ad a. d. VII Id. Oct. gestis.[1])

die mensis Mart.		
15	Caesar interficitur. Atia Octavium de caede certiorem facit per litteras.	Nic. 16. App. III 9.
17	Senatus in aede Telluris:	p. 1. Att. XIV 10,1; 14,2. Phil. II 89.
	1. oblivio datur.	Phil. I 1. Plut. Brut. 19.
	2. acta Caesaris servanda esse decernitur.	p. 1 et 17. L. 488. D. 94.
	3. veteranis agri a Caesare assignati confirmantur.	p. 1. L. 488. D. 94.
	4. testamentum sancitur.	L. 488. D. 95
	5. publicum funus Caesari statuitur.	L. 488. D. 95.
17	Comitia habentur: lex de actis Caesaris confirmandis datur.*	Phil. I 32. Phil. V 10. Att. XIV 6,2; 10[2]).
18	Senatus habetur: 1. Antonio honores decernuntur. 2. Liberatoribus provinciae confirmantur.	Plut. Brut. 19. D. 97. L. 490.
20—23	Funus in foro.	Phil. II 90 seq. Ruete p. 16 seq.

[1]) Quae asterisco notata sunt, non satis constant. Sequor in diebus numerandis nostram rationem, quo planius perspiciantur tempora. L. significat Lange, R. A. t. III, D. Drumann, Gesch. Roms t. I, Nic. Nicolai Damasceni vitam Caesaris.

[2]) Lange, R. A. III, 494, hanc legem a. d. VIII Kal. Mai. latam esse statuit simul cum legibus de dictatura tollenda coloniisque deducendis. Nec vero ex Phil. V 10 colligendum est has tres leges isdem comitiis latas esse, et ipse Lange Antonium iam ante a. d. X Kal. Mai. legem adhibuisse eamque promulgatam non esse concessit. Facile igitur fieri potuit, ut statim post senatum Liberalibus habitum lex ferretur. Nam hoc die contionem fuisse compertum habemus ex Cic. Phil. I 32, id quod plane neglexerunt adhuc viri docti.

Mart. 20—25[1])	Octavius Apolloniae certior fit de caede.	Nic. 16. App. III 9.
20—31	Antonii in Capitolio senatusconsulta:	Phil. II. 91; I 2 et 32.
	1. e Ser. Sulpicii sententia: 'ne qua post Idus Martias immunitatis tabula neve cuius beneficii figeretur'.	Phil. I 3. Vogeler l. c. p. 16/7; Phil. I 3; II 91.
	2. de dictatura in perpetuum tollenda.	Phil. I 3 et 32; II 92; Vogeler l. c. p. 17.
	3. de actis Caesaris cum consilio cognoscendis.	p. 10. Phil. II 100.
„	Lex de dictatura in perpetuum tollenda.	Phil. V 10. L. 492 (cf. p. 1 et 44 n. 2).
„	Lex Antonia Cornelia de Syria provincia.	p. 4 seq.
„	Antonio a senatu Macedonia traditur.	p. 6.
April.	D. Brutus in Galliam cisalpinam evadit.	Att. XIV 13,2
7	Cicero Roma proficiscitur.	p. 6.
11	Senatusconsultum de Judaeis.	Josephus Ant. Jud. XIV 10,10
13*	Brutus et Cassius urbe cedunt.	p. 2 n. 1.
14*	De Mario supplicium sumitur.	p. 1.
15*	Trebonius in provinciam proficiscitur.	Att. XIV 10,1.
18	Octavius Neapolim venit.	Att. XIV 10,3.
19*	Lex Julia de Siculis ab Antonio datur.	Att. XIV 12,2 L. 496.
19*	Lex Julia de rege Deiotaro ab Antonio datur.	
22	Octavius in Puteolano Marcii Philippi.	Att. XIV 12,2; cf. ibid. 11,2.
24*	Lex Julia de exulibus renovatur. Sex. Clodius restituitur.	Att. XIV 13 et 14. Phil. II 98. L. 496.

[1]) Libertus ab Atia missus, si tardissime, decimo die Roma Apolloniam pervenerit necesse est, quod etiam tabellarii intra decem dies hoc iter conficere solebant (Cic. ad Brut. II 4) ac Nicolaus (c. 16) testatur summa celeritate libertum usum esse. cf. Gardthausen, Aug. u. s. Zt., I p. 51.

April.		
24*	Lex Antonia Cornelia de coloniis deducendis.	p. 1 seq. L. 499.
25*	Antonius ab urbe discedit.	p. 2.
27*	Dolabellae animadversio.	p. 2.
Mai.		
8*	Antonius Miseni versatur.	p. 3.
18—21	Antonius in urbem revertitur.	p. 3.
19—22	Brutus Ciceronem in Arpinati convenit.	Att. XIV 22, 1; XV 2 et 3.
Jun.		
1	Senatus in aede Concordiae.	p. 9 n. 3.
	Senatus de Bruto et Cassio in Nonas Junias indicitur.	p. 17.
2	Comitia habentur:	p. 9.
	1. lex tribunicia de provinciis consularibus.	p. 9 seq.
	2. lex de cognoscendis per consules actis Caesaris.	p. 10.
2	Cicero a Dolabella legatur.	p. 6.
5	Senatus in aede Concordiae:	p. 26 n. 3.
	1. Bruto et Cassio frumentarium negotium imponitur.	p. 17 seq.
	2. Brutus, praetor urbanus, legibus solvitur.	p. 18.
post medium mensem	Lex agraria L. Antonii.	p. 16.
„	Lex Antonia Cornelia de permutatione provinciarum.	p. 10 seq.
Quinct.		
6—13	Ludi Apollinares a Bruto absente dantur.	Phil. I 36; II 31; X 7. Att. XV 28 seq. XVI 1 seq.
10	Ciceroni Sex. Pompeii de restitutione litterae Puteolis afferuntur.	Plut. Brut. 21. p. 27.
20—30	Ludi victoriae Caesaris ab Octaviano dantur. Matius et Postumius et Saserna procuratores ludorum.	C. I. L. I 392. Att. XV 2, 3.
exeunte mense	Contio ab Antonio moderata habetur.	fam. XI 27 et 28 p. 24.
„	Statuitur, ut Kalendis senatus sit de Bruto et Cassio.	p. 24.

exeunte mense Edictum a liberatoribus proponitur, p. 25.
quo postulant:
1. tollendam esse frumenti curationem p. 25.
2. decernendas esse provincias* p. 24.
quo remittunt:
ius praetorium. p. 25.

„ Litterae a Bruto et Cassio ad consulares et praetorios mittuntur, ut adsint Kalendis in senatu. p. 25.

„ Regini Roma domum proficiscuntur. p. 25 et 42.

Sext.

1. Senatus non frequens in aede Concordiae: p. 26.
1. frumentarium negotium non tollitur. p. 26.
2. Antonius Galliam non remittit. p. 26.
3. Creta et Cyrenaica provinciae Bruto et Cassio decernuntur.* p. 19 seq. et 26.
4. Sex. Pompeius restituitur.* p. 105 seq. et 26.
5. Piso orationem habet contra Antonium. p. 26.

1 Edictum ab Antonio grave datur litteraeque minaces liberatoribus mittuntur, in quibus fuerunt: p. 25.
1. de dilectibus habitis, pecuniis imperatis, exercitibus sollicitatis, nuntiis trans mare missis. p. 25.
2. crimen de morte Caesaris. p. 26.
3. minae, quae ad pellendos Italia percussores spectant. p. 26.

2. Senatus in aede Concordiae. Piso abest. p. 26.

4. Edictum a Bruto et Cassio Neapoli datur. p. 26.

7. Ciceroni ad Leucopetram a Reginis laetiores nuntii afferuntur, quibus commotus reverti constituit. p. 23 et 41.

Sext.		
17*.	Brutus Italia cedit. Paucis post diebus Cassius cum classe consequitur.	p. 23 et 42. p. 23 n. 1.
	Lex Julia de insula Creta.[1])	Phil. II 97.
31.	Cicero Romam advenit.	p. 23.
Sept. 1.	Senatus in aede Concordiae. Refertur de supplicationibus Caesari decernendis.	Phil. I 12 seq. V 18 seq.
2.	Senatus in aede Concordiae. Antonius abest. Cicero primam orationem Philippicam habet.	Phil. I 12 seq. V 18 seq.
2.	Antonius in villam Tiburtinam Scipionis se confert ibique septemdecim dies moratur.	Phil. V 19.
2.	Lex Antonia iudiciaria promulgata est.	Phil. I 19 seq.
2.	Lex Antonia de provocatione promulgata est.	Phil. I 21 seq.
2—18.	Lex Antonia de quinto in circo die ludorum Romanorum Caesari tribuendo fertur ad populum.	Phil. II 110. Marquardt, Röm. Staats-Verw. III 498.
19.	Senatus in aede Concordiae. Antonius graviter invehitur in absentem Ciceronem.	Phil. V 19 seq.
Sept. 19— Oct. 2.	Statua ab Antonio in rostris Caesari ponitur; cui inscribitur: PARENTI OPTIME MERITO.	fam. XII 2 et 3.
Oct.		
2.	Contio habetur a Cannutio tr. pl. Antonius de liberatoribus deque Cicerone loquitur ut de proditoribus patriae.	fam. XII 3,2; 23;3.
5/6.	Fictus Octaviani conatus consulis interficiendi.	p. 43.
9.	Antonius ad excipiendas legiones Macedonicas Brundisium proficiscitur.	p. 29 n. 1.

[1]) Lange, R. A. III 504, hanc legem ante Kal. Sext. datam esse censuit, quippe qui provinciam Bruto Non. Jun. decretam esse putaret.

SENTENTIAE CONTROVERSAE

1. Hor. A. P. 394 deteriorum codicum lectio *Thebanae conditor arcis*, quam Bentley aliique editores secuti sunt, respectis Antiopae fragmentis nuper repertis reicienda est.
2. Recte Nicolaus Damascenus tradidit, Octavium Apolloniae quarto post adventum mense de Caesaris caede certiorem factum esse (*βίος Καίσαρος* c. 16).
3. Polyb. III 25 codicum lectionem *ἔφοδον* reiciendam censeo et legendum: *τὰ πλοῖα παρεχέτωσαν Καρχηδόνιοι καὶ εἰς τὴν ὁδὸν καὶ εἰς τὴν ἄφοδον.*
4. Non multo ante initium belli Peloponnesiaci Pericles consilium cepit omnes civitates Graecas Athenas convocandi (Plut. Per. 17).

Vita.

Natus sum Ernestus Paulus Groebe Kal. Dec. a. h. s. LXVIII in oppidulo provinciae Saxoniae, quod vocatur Lauchhammer, matre Henrietta e gente Paschke, patre Ernesto, quem praematura morte ereptum mihi esse valde conqueror. Fidei addictus sum evangelicae. Primis discendi elementis imbutus in schola Luccaviensi nonum annum agens gymnasium adii, quod tum sub auspiciis Roberti Pilgeri v. d. ibi floruit. Postea cum matre Berolinum migravi et in gymnasio, cui nomen est Humboldtii, maturitatis testimonium adeptus sum. Vere a. h. s. LXXXVII me contuli ad Universitatem Berolinensem, tribus semestribus post ad Erlangensem, unde, postquam stipendia patriae debita merui, anno post Berolinum redii. Philologiae historiaeque veteris studiis in primis incubui, neque reliquas historiae partes neglexi. Docuerunt me per duodecim semestres viri doctissimi: Aegidi, Bastian, Bresslau, Curtius, Diels, Dilthey, Doering, Dove, Erman, Geiger, Gizycki, Hirschfeld, Hübner, Kekulé, Kiepert, Kirchhoff, Koehler, Lenz, Marx, v. Mueller, Paulsen, Pernice, Rabus, Robert, Rothstein, Scheffer-Boichorst, E. Schmidt, Sternfeld, v. Treitschke, Vahlen, Wagner, Weinhold, Zeller.

Exercitationibus admiserunt me Rothstein et Vahlen philologicis, Kekulé archaeologicis, Paulsen philosophicis, Hirschfeld, Koehler, Scheffer-Boichorst historicis, Hirschfeld epigraphicis.

Quos omnes viros optime de me meritos, potissimum eos, qui exercitationibus benigne aditum mihi praebuerunt, grato colam semper animo; maximas vero gratias debeo Koehlero et Hirschfeldio, quo auctore has studiorum primitias suscepi.

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

WIDENER
CANCELLED
JUN 30 1983

WIDENER
FEB 10 1998
AUG 28 1998
BOOK DUE
CANCELLED

7500
7819876